



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines



Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



87
A1
J

878

~~3.4.3. J-~~

A133

J



(LUCILII IUNIORIS)

Ammon.

A E T N A.

244

R E C E N S U I T,

NOTASQUE

IOS. SCALIGERI, FRID. LINDENBRUCHII

ET SUAS ADDIDIT

FRIDERICUS IACOB.

LIPSIAE 1826

SUMTIBUS FRIDER. CHRIST. GUIL. VOGELII.

878
A133
J15

P R A E F A T I O.

Quum, quod nescio an nulli accidat, ut de Latini sermonis particularum rectione dubius feratur, idem mihi quoque accidisset saepissime, ut, postquam multa variaque lectione iam mihi ad aliquam veri similitudinem pervenisse viderer, mox denuo in alia omnia distraherer; in eam deinde persuasionem deductus sum, nullam in hac re posse neque observationem esse, neque regulam statui, nisi omnibus scriptoribus ex temporum ordine perlectis, omnibusque omnium particularum exemplis comparatis, adhibita Codd. lectionis Varietate, primum investigetur, quid unicuique tempori, quidque singulis huius temporis scriptoribus sit proprium; deinde, quid poëtae quaesiverint, quid oratores, quid vitarint alterutri, quid omnes, in quo denique conveniat omnium temporum scriptoribus cunctis. Post haec, si, quid usus tulisset iussissetve, perspectum esset,

haud ingrata fore videbatur, si qua forte etiam causa et ratio addi posset. Itaque ad hoc ego me munus strenue composui. Nec tamen nunc eius inquisitionis fructus profero. non quo fastidio quodam correptus defecerim, sed quia in re gravi et subtili videbatur mihi aliquod spatium intermittendum esse; partim ne in varia rerum novarum inventione ab exultante laetitia abriperer, et propter id ipsum errarem, si prae docendi festinatione inconsultius deferrer; partim ut respirarem a studio difficultatis plenissimo. Solemus enim facile, dum animus fervet, mente tamen hebetiores fieri. Itaque volui per aliquod tempus statum laborum cursum cohibens ad unam Lucilii Aetnam vires meas dirigere, ad quem, dum particularum rationem consector, accuratius legendum cogebar. Sic haec editio et nata est et perfecta. Quod eius initium non propter ipsam exposui, vel ut vanam istam gloriolam captarem, quasi aliud agens haec conscripsissem, — nam huic etiam operi suum tempus suumque studium concessi, — vel ut excusationis subterfugium pararem, si quid humani accidisset, — neque enim dari excusatio debet festinationem praefanti, sed ei, qui verum studiose quaerens, humanam fragilitatem in se quoque cadere alicubi non sensit, — sed ut hanc occasionem nactus grammatica ista mea studia publice profiterer, eaque paucis delinearem, simul alios meo exemplo, si fieri posset, admoniturus, ne, nisi meam

etiam indagationis rationem elegissent, operam in hac re et otium perderent. siquidem haud paucos hodie experimur, qui ex parvo quodam, carptimque undique conducto exemplorum numero regulas posse elici putant frustra. Ego quidem etiam in praesenti hoc opere studiose me continui, ne in his rebus quid iudicarem, quoniam nondum, quae sunt exhausti omnia. Deinde ipsa me libri moles, ingens futura, si evagari vellem, monebat, ne quidquam adderem, quod non ad ipsam explicandam Aetnam faceret. Cuius generis sat multa fuerunt, cum ad nostra tempora vix ullum antiquitatis monumentum tam neglectum iacuerit, tamque inculturn, quam hoc ipsum poematum. Nam ante Ios. Scaligerum, qui aliquam ei operam dedicaverit, invenio neminem. Hic autem, quantum quidem per Codd. inopiam et malam editionum omnium scripturam licebat, plurima et emendavit egregie et explicuit, in ipsis etiam erroribus varia sua et recondita eruditione nobis profuturus. Quare Scaligeri quidem notas integras apposui, illius, cuius *nullam unam litteram perire fas ducit* is, cui in nostra arte plurimum tribuo, descriptae autem notae sunt ad recensionem alteram a Lindenbruchio (cuius animadversiones adiunxi) ex ipsius Scal. additamentis locupletatam (cf. Burm. Praef. ad Anthol. I. p. XXXII.), inspecto exemplari Antverpensi Guellii, qui editionem Scaligeri priorem suo Virgilio addidit.

Proximus a Scaligero Theodorus Gorallus est. tempore quidem; ad cetera nequaquam illi componendus. A quo quamquam non nego hoc illudve melius esse intellectum, tamen id plerumque tale est, ut neque ab eximia quadam eruditione, neque ab acris admodum ingenii acie laudem mereatur. eamque ipsam tum foeda sua in Scaligerum petulantia, tum inhonesto illo mendacio, quo quas difficultates solvere non possunt, eas ficto simplicitatis vultu, tanquam apertissimas res mirabundo lectori, pro pane lapidem, apponunt, insigniter minuit; praeclarum exemplum futurus, quantum morum honestas ad ingenium vel acuendum vel conterendum faciat. dum enim suae laudis unice studiosus, non tam quid verum sit, exquirat, quam ut, quae non intelligebat, ea intellexisse videatur, adeo interdum inhonestis suis se artibus impedit, ut homo neque meo iudicio stultus et suo sapientissimus plane deliret. Erat itaque, ubi, tanquam consulto errans, graviter castigandus esset; ita tamen, ut pleraque silerem. quod eo magis faciendum fuit, quia in aliorum vel interpretatione vel correctione refutanda nunquam immorari visum est, nisi quando res ipsa me cogebat. neque enim nostra explicatio ita est verior, si aliam falsam esse demonstraverimus, et ego si verus videbor, quid aliorum errores aperuisse iuverit? Contra, quae ipse vel ad interpretationem attuli, vel coniectura mihi assecutus videbar,

ea omnibus firmavi, quibus poteram, argumentis. quia, quum omnis haec res critica in probabilitate posita sit, quumque ea difficiles plerumque ad hominum animos accessus habere soleat, illa mihi probabilitatis effectio omni modo augenda, haec autem ad fidem difficultas non minori studio propellenda tali argumentorum acie videbatur, qua Bentleii exemplo acutissimum quemque usum cognovimus.

Excipit Gorallum Chr. Wernsdorfius (ut Conr. Arn. Schmidii et Ioh. Henr. Fridr. Meineke versiones sileam, qui, quum nihil novi afferre voluerint, ille Gorallum, hic Wernsd. secutus est). Wernsdorfii igitur non mediocri de Lucilio meritum est, eo maxime nomine, quod primus de vero Aetnae auctore diligentius quaesivit. ad quod infra oratio nostra recurret. In explicando autem et emendando poëta, si non tantam ei laudem impertire possumus, quantam, quin acriore studio attingere potuerit, non dubitem; est profecto aliquid veniae concedendum ei, qui in ampliore minorum poëtarum Latinorum omnium cura non tantam operam impendere huic uni volebat, quantam res ipsa flagitabat; in hoc tamen, ut aperte dicam, quod sentio, improbandus, quod Cod. Florentino tum Helmstadiensi non solum negligentius usus est, sed huius etiam quasdam lectiones proposuit, quae in eo non inveniuntur (v. 91. *desinit non desunt*. 158. *retro non recto*. 221. *Nam propena quitq. i. e. quitquid non quidque*. 270. qui

tamen errore bis in Cod. scribitur *bonus est non sunt*. 274. *animtis non animos*. 276. *Coelestis non coelesti*. 451. *ieiuniis non ieiunos*. 569. *intersummo non intersumus* legitur). Quo Codice, nunc Guelferbyitano, Helmstadiensi 332 fol. *) ut ego iterum plenius et accuratius collato uti possem, insignis effecit amicissimi Car. Lachmanni erga me benevolentia, qui dum nostri sermonis monumentis veteribus intentus Germaniam peragrat, licet suis ipse rebus occupatissimus esset, nihilominus tamen praeter hunc Cod. octo etiam seculi XV. edd. cum ea accurate, quam semper in eo admirari solebam, in meam gratiam comparavit. Deinde, quum iam negotium confectum videretur, Thoruni apud doctissimum Iulium Wernicke alteram duorum Aetnae Codd. collationem inveni, quam praematura morte ereptus litteris F. A. Wernicke frater reliquerat. Etiam hanc ut in usum meum converterem, a possessore humanissimo facile impetravi. Atque eum quidem Cod., qui sigla 3. et apud Wernicke erat signatus et eadem nota etiam a me usurpatur, eundem esse cognovi, qui Vratislaviae in bibl. Redigerana servatur (cf. Hand Praef. ad Stat. p. xxiv

*) Descriptionem Cod. apud Wernsd. Praef. ad Lucil. Aetnam et apud Heyn. habes in Addend. ad Virg. Codd. Tom. IV. p. 197. ed. pr. non tamen annus 1450 et 1454, ut tradidit Wernsd., sed 1470 et 1474. subscriptus est, ille ad Catalectorum, hic ad Aeneid. et Georg. calcem adiectus.

sq.), sive seculo exeunte XIII. sive XIV. scriptus in forma quadruplicata minori foliis XIV Aetnam complectens. In quo praeclaram Fr. Passovii V. Cl. humanitatem expertus sum, qui paratissima voluntate, quam mihi procurari rogaveram, Codicis collationem omnibus apicibus accuratissime Ms. experimentem ipse sua manu excerptam ad me dedit. Cuius benevolentiae eam acceptissimam gratiam retulisse me iudicarem, si quid inde utilitatis ad litteras redundavisse viro doctissimo videretur. Minus feliciter res in Cod. 2. cessit, quem in eadem bibl. Rehdigerana inveniri putaram. ita enim in fine poematis apud Wernicke legebatur: *P. Virg. Maronis Aetna fuit. etsi nonnulli Cornelio tribuantur Cod. R. 2. et ad Moretum: Clarissimi poetae Virgilii Moretum Incipit feliciter Cod. Redig. 2. p. 68.* Neque tamen illic neque usquam eius vestigia indagare potui. Omnes hi Codd. ex eodem fonte fluxerunt, unde etiam Codex Florentinus est, cuius notitiam ex Fridr. Chr. Matthiae Programm. an. 1822. pag. 6. ipsis huius viri verbis daturus sum: *Nacher theilte mir der sel. Kulenkamp — ein Exemplar mit von Pet. Pithoeus Epigrammata etc. Paris, 1590. 12. — Ich glaube mit Grunde annehmen zu können (S. Burm. in Ovid. Met. I, 85. und des jüngeren Burm. Vorr. zur Anthol. Lat. I, S. LIII.), daß dieses Exemplar von Nic. Heinsius her stammt, und daß die auf dem Rande desselben weit vollständli-*

cher befindlichen Varianten von Heinsius beigeschrieben sind. Auf der Rückseite des Titelblatts liest man von derselben Hand die Notiz: *In Aetna V. significat Cod. Florentinum, quem inde habuit Ernestius. nempe solum partem illam.* — Quum autem neque in Bandini Catal. Codd. Bibl. Medic. neque in Henr. Ernstii Catal. Librorum Bibl. Medic. ullam huius Cod. mentionem inveniret, non ad ipsam hanc bibl. illud fragmentum pertinere suspicatur Matth., sed aliquo modo ab Ernstio comparatum cumque Nic. Heinsio communicatum esse. Cum hac autem coniectura parum convenire ait ipsius Nic. Heinsii verba in Praef. ad Claudian. Amstel. 1665. 8., ubi quum de Cod. Claudiani Lucensi loquitur, nihil eius praeter excerpta, atque illa satis oscitanter descripta se vidisse dicit, ipsum volumen, quum Lucae esset, irrito successu investigasse. hunc autem Cod. Aetnae partem potissimam, vulgatis exemplaribus longe castigatiorem continuisse, fidemque rei tam Gyraldum ipsum, quam schedas Mediceas praestare. — Späterhin schenkte mir mein jetzt verstorbener Freund Heinr. Friese mann ein Exemplar derselben Ausgabe des Pithoeus, welcher Joh. Schraders Hand ebenfalls Varianten aus einem Mediceischen Codex beigeschrieben hat. Seltsam ist es, daß diese Lesarten, mit sehr geringer Verschiedenheit, doch nur zu den Versen [ed. Wernsd.] 267—285. (wie durch die beigetzten Worte, zu Anfange: Fragmentum

ex VC. Med. und zu Ende: Hactenus VC. ausdrücklich angezeigt wird) mit den aus dem Ernstischen Flor. Fragmente von Heinsius ausgezogenen völlig identisch sind, während letzteres 148, ersteres aber, da VV. 269 — 271. fehlen [i. e. vv. 270.—72.], nur 16 Verse zählt, beide Fragmente aber mit demselben Verse schliessen. — Praeterea Heerenii beneficio, pergit Matth., collationem Cod. Medic. (Bandini Tom. II. col. 96. Cod. 1.) se habere, veteri editioni Claudian. ibi adiuncti, eamque versus 16 (267—283. ed. Wernsd.) praebentem, in minimis ipsis rebus adeo conspirare cum Fragm. Ernstiano, ut pro uno eodemque libro habendi sint. Ego in re ancipiti nihil iudicem, sed quid verisimillimum mihi videatur, dicam. Esse videtur illud fragmentum, edit. Claudian. adiunctum, ex eodem Cod. Lucensi descriptum, unde schedae Mediceae, quas nos Cod. Florentinum nominamus, ad Heinsium pervenerant. quas quum ipse Nic. Heinsius satis oscitanter descriptas dixisset, tam timidum Wernsdorfium fecit, ut minus eius auctoritati tribueret, quam debebat. Habet enim illud fragmentum plurimas lectiones et praeclarissimas, quas omni iure assumisise nobis videmur, licet in aliis interpolatoris manum agnoverimus (cf. v. 138. 183. 227. 289.). Hausimus autem eius V. L. ex edit. Wernsd., quum Acta Societ. Lat, Ienens. Tom. V., unde hic eas habebat, consulere ipsa non possemus. Praeterea, quam mutilum hoc poema ad nos perve-

nerit, clarum eiusdem Cod. testimonium est, ut qui intra paucorum versuum spatium duos nobis largierit novos. quamquam enim, ne audax videar, verendum est, affirmo tamen non *vice versus* 186. *Haec illis sedes* etc. illic scribi: *Haec operis visenda* etc., ut apud Wernsd. invenio, sed *utrumque simul* inesse Codici. Atque hic proferenda quaedam coniectura est, qua, quomodo lacunae illae exortae sint, pateat. Codex Lucensis Lili Gyraldi litteris erat Longobardicus scriptus, ex parte truncatus, lacer etiam in imis foliis, ut quum octoni deni singulis quibusque paginis versus inscripti essent, ultimi horum versuum alii ex parte, alii omnino essent deleti, omnes acrem oculorum aciem postularent. Cod. autem Flor. diligentius litterarum ductus rimatus, hos versus, quantum potuit, servat, reliqui ab inertissimis scribis exarati vel plane omiserunt, vel dimidios vel depravatissimos exhibent. Quod si quaeris, unde deperditi libri tam accuratam notitiam hauserim, dicam pro mea simplicitate aperte, ex errore quodam, quem nunc narrare nihil attinet, totum hoc utilissimum inventum profectum esse. habere se rem ita, uti proposui, his argumentis effici dico. Nam primum posse quidem versus multos excidisse nobis non sentientibus in incisa hac oratione Lucilii, ipsi illi versus a Cod. Flor. additi declarant, quorum neutrum ad orationis tenorem desideres, si absit. In aliis contra locis plurimis res est apertior. Ita conf., quae ad

v. 18. notarim. paginae tertiae versus penultimus, 53., ipse ad nos mutilus pervenit. versus 70 sqq. vide quam aegre ad priora coëant. v. 105—108. non saniores sunt, abest etiam a Cod. H. et 3. *corymbos.* post v. 148. desiderari versum, perspicue ibi probavi. v. 161—63. pessime habitos ipse conf. quod idem dicendum est de v. 180 sq. versum autem 218. in fine paginae fuisse adscriptum, supra post v. 213. omissum, ex lectione Cod. Flor. perquam vero simile est. versus 236. a Cod. Flor. servatus folii septimi pag. a. ipse versus ultimus est. item vss. 370—72., loco suo ante me moti, in pag. a. fol. 8. versus ultimi sunt, ubi praeterea exemplum est, quantum versui 271. scribae detrimentum attulerint. cf. etiam v. 290. 308. 326. post vs. 344. quatuor vel quinque versus interiise, reliquos esse turbatos, ibi docemus. in v. 376. ipse iudica, et ut reliquos omittam, lacuna post v. 430. rursus in fol. 12. versum ultimum incidit. non item ea, quae est post vs. 473. sed quidni etiam aliis locis idem accidere potuerit? Praeterea errare in aliquo loco folia dinumerans facile potui, ut in re salebrosa. Illud profecto a vero abhorreret, si quis tot et tanta indicia casui nescio cui tribuens, nihil huic meae coniecturae concedere vellet. Non integrum Cod. fuisse, ipse Nic. Heins. in Praef. ad Claudian. testatur. Longobardicis litteris inde eum exaratum fuisse coniciebam, quia Codd. H. 3. 2. errores tales sunt, quales

Markland. in Praefat. ad Stat. Silv. in hoc caractere facile committi pronunciat.

Codd. reliquos ex eodem vel simillimo libro fluxisse, summa cum Cod. Flor. similitudo patefacit, et error omnium communis v. 145. *Nam quo liberior, quoque est animosior ignis* *). Pendent tamen, ut dixi ab exemplari negligentissime scripto, fidelius expresso a Cod. H., quam a 3. et 2., quod uno hic vs. 506. exemplo probem, ubi, quum 3. et 2. sensui quam versui minus etiam consulentes syllabas quasdam alias alius pro arbitrio exturbant, H. autem omnem stribliginem retinens, quo esset eundum, demonstrabat. Itaque huius summa apud me auctoritas fuit. minimam 2. meruit, qui longissime a Cod. Flor. recedens, haud pauca, pingui plerumque consilio, corrigit (v. 4. 94. 119. 150. 293. 308. 378. 405. 406. 495.). Neque tamen ita eum spreui, ut non, quae in eo probanda viderentur, reciperem. Utilissimus etiam hic liber ad historiam scripturae in hoc poëmate per editiones propagatae. nam ex hac Codd. classe edd. omnes profectae sunt, in quibusdam lo-

*) Ad aliam classem Scal. Membrana pertinebat. Codd. Aetnae tractant Heyn. in recensu Codd. Virg. et Burm. Praef. ad Anthol. I. pag. LIV sq. (qui idem Brukhousii notas habuit ad ed. Scal. marginem adscriptas). Adde Cod. Pomponii Laeti manu exaratum, in quo nomen Corn. Severi diserte scriptum legebatur apud Ursin. ad Virg. Aeneid. III, 578. et Cod. Eliensem apud Burm. ad Ovid. Met. I, 85. et Davis. ad Cic. de N. D. II, 42.

cis, sed sine certo consilio, alios etiam libros, Codd. H. et 3. similes, vel sequuntur, vel V. L. in margine exhibent (v. 12. *saturae*. sed Ienson. 1475. *sacrae*. v. 97. *viasagit inque animantis*. v. 120. *Confluit*. v. 140. *Cervus ut in silvis*. v. 174. *Haec primo species rerum*. v. 321. *Iter* in Ed. Ienson.). Contra omnes Edd. sec. XV., quas Lachmanni beneficio debes, v. 4. *ductor Apollo* scribunt; v. 94. *agitatur ab undis*. v. 116. *non viderit illud*. v. 378. *Haud secus ac tene-ros*. v. 214. *Nam prope natura par est*. v. 405. *Circumdare flammis*. v. 406. *Et potes*. Quid, quod vitium typhotetarum: *Commixtum vento* (nam Codd. *lento* habent) vs. 513. praeter ed. Ienson. omnes pariter occupat? Eadem fere ratio edd. sec. XVI. est. nisi forte Aldina an. 1517. aliam rationem sequitur, quae ad librum Bembinum expressa esse ab Editore praedicatur; hanc enim inspicere non licuit; sed negligenter eam quoque, in Aetna certe, curatam esse affirmem ex V. L. in margine editionis Iuntina. Venet. 1533., quae illinc etiam se ditasse putanda est. Itaque editionum quidem nullam V. L. addidi, nisi quod interdum earum mentio facienda erat, si quid correctione occupant - tam certum, ut recipiendum esset; Codd. autem lectionem plenam et accuratam adieci. quo enim quis opibus pauperior, eo ad rem attentior esse solet.

Ex hac Codd. et edd. descriptione, quantum nostrae coniecturae relictum fuerit, satis apparet.

qua tamen vereor, ne quibusdam abusus esse videar. Sunt enim nostra tempora ab hac re ut quae maxime aliena. neque iniuria. sed ut non morbis eadem medendi ratio adhibetur omnibus, ita non pari lenitate omnes scriptores tractandos esse, cogitent, et saepe felici medicorum audacia mortis periculum esse depulsum. Quod an Lucilio hac mea opera praestitum sit, apud aliud iudicium esto. in quo tanta est et rerum omnium obscuritas et verborum depravatio, ut ipsa etiam libri inscriptio coniecturam in se contineat. Nam mathematicorum quidem ratione demonstrare nunquam ego poteró, ab Lucilio hoc profectum poëma esse, quod tamen ei tribuendum videbatur hisce rationibus, quas a Wernsdorfio congestas paucis quibusdam observationibus augere studebo.

Primum non a Corn. Severo posse hoc carmen esse Wernsd. docet. Summopere enim discrepare in hac Aetna orationem a Fragmento illo Corn. Severi de morte Ciceronis. cui altera auctoritas Marklandi accedat ad Stat. Silv. I, 1, 65. *Vide locum poëtae istius, quem nemo mihi persuaserit eundem esse Corn. Severum, cuius fragm. poëmatis de morte Ciceronis offert Senec. Suasor. VII. adeo omnia diversa. Ad aevum et ingenium multo inferius detrudendus mihi videtur auctor obscuri istius poëmatis de Aetna. Ubi, quod ad inferius aevum scriptorem nostrum Marklandus reicit, illa verba cogitare videtur, quae ob*

eandem causam Wernsdorfius notavit. Sed huius-
 quidem criminis confitendum est librarios plerumque
 reos faciendos fuisse, tum propter Codd. auctórita-
 tem, tum propter alias rationes. cf. v. 120. *Conflu-*
via. de Confluvio autem v. 328. videndum est, ne
 totum hunc vs., in Mss. lacerum, librarii finxerint.
cavamen v. 436. et *tudes* v. 561. a Scal. profecta
 assumi non potuerunt. de voce *equidein* v. 458. non-
 dum confecta res est. cf. Oudend. ad Appul. Met.
 pag. 10. denique *effumat* v. 500. stare non posse, ad
 illum locum probavi. Clariora de Lucilii aevo in-
 dicia ab Hydraulicorum mentione, ab Augusteo aevo
 abhorrente desumpta sunt, v. 206. de quibus doctis-
 sime disputantem vide Wernsd. in Excurs. III. cf.
 etiam quae de Colossis ad v. 597. notavi. Quae
 omnia, quum Corn. Severo abiudicandum poëma per-
 suadeant, simul ut potuerit a Lucilio esse efficiunt.
 Esse ab eo, Senec. Epistola 79. per se admodum te-
 nue testimonium est: *Donec Aetnam describas in tuo*
carmine, et hunc solemnem omnibus poetis locum
attingas. Et quamquam ingeniosa Wernsdorfii
 explicatio (omnia Siciliae miracula carmine Lucilium
 esse complexum, itaque in carmine Aetnam attigisse)
 sustentatur Arethusae mentione, quod eiusdem Lu-
 cilii poëma ab eodem Seneca nominatur N. Q. III,
 26.; non multum tamen, neque huic loco neque eius
 interpretationi darem, nisi alia neque ea levia argu-
 menta accederent. Iam enim hoc ipsum aliquid est,

quod omnis poëtae oratio Senecae Naturales Quaestiones ita totas reddit (cuius multa et praeclara exempla vide maxime vs. 116—218. et 282—383.), ut plurimam inde et ipsa lucem accipiat, et auctorem nobis suadeat insigni quodam Senecae amore captum fuisse. Maius est, quod Aetnae poëta Epicurum sequitur (cf. v. 34. et ad sensuum testimonia ubique tanquam unice vera provocantem v. 178 sq. 191. 332. 448. 517. de mundi interitu ad v. 172. quem addimus cf. Lucret), eidemque se disciplinae Lucilius tradidit. Mirum enim profecto esset, si praeter reliqua indicia haec etiam eiusdem philosophiae professio a casu addita esset, quae nos in errorem compelleret. Potius, si haec omnia complecteris, fatendum haud dubie est Wernsdorfium non infirmas causas invitasse, quibus huius ipsius hominis nomine hoc opus inscribi iuberet, praesertim quum nemini melius tam accurata Aetnae notitia concedi possit, quam huic Siciliae procuratori. Quibus ego quae adiungerem, haec habebam. Sunt quaedam loca, in quibus a Senecae de rerum natura sententiis nostro abire visum est. unde simul non rudem aliquem hominem et orationis indigum sic temere, in versus omnem Senecam transtulisse apparet, sed alio consilio hoc sibi quod imitaretur exemplar elegisse; simul autem tanto tamque modesto pudore haec dissidia tangi videmus, ut nisi scias Senecae nunc quendam locum tractari, ne sentias quidem ullam

cuiusquam reprehensionem in verbis latere. cf. v. 185. 303. 319. 359. In quem autem haec ratio melius quam in Lucilium cadet Senecae familiarissimum? vel potius quem praeter unum Lucilium ita scripturum fuisse putabimus? Deinde nulla nostro figura magis quam hypallagè quaesita est; adeo ut apud neminem eam neque frequentiore neque audacior invenias. cf. maxime v. 227. 362. 507. 530. Quid itaque colligemus, si propter eandem hanc figuram Lucilium Seneca notarit? Locum totum exscribam, ex Senec. Ep. 59. *Habes verba in potestate. non effert te oratio, nec longius quam destinasti, trahit. Multi sunt, qui ad id quod non proposuerant scribere, alicuius verbi decore placens vocentur. quod tibi non evenit. pressa sunt omnia et rei aptata. Loqueris, quantum vis, et plus significas, quam loqueris. — Invenio tamen translationes verborum, ut non temerarias, ita quae periculum sui fecerint etc.* Quae quam graphice Lucilii orationem depingant, nemo est qui doceri velit. Hoc tantum dicam, esse quod ei laudis tribuatur, minimum, ac tale, quod amicum, amice de re mediocri iudicantem, deceat. Nam si hanc Senecae laudem et versuum laboriosam quandam curam exceperis, nihil fere commendationis relinquatur. In descriptionibus maxime deficit, in gnomis felicior et uberior est. compara v. 226 sqq. cum v. 611 sqq. Hinc est, quod ei Seneca in Epist. 21. non ipsius poëmatibus sed

suis Epistolis immortalitatem quasi vaticinatur: *Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. Habeo ad posteros gratiam, possum mecum duratura nomina educere.* Atque N. Q. III, 26. quanquam Arethusam Lucilii poëma nominat, non tamen huius, sed Virgilii versibus utitur. His quidem rationibus tantum mihi effectum videbatur, ut non temere Lucilii nomen a me assumi putarem.

Haec scripseram, quum satis sero mihi innotuit, ex Frid. Christ. Matthiae copiis accuratiorem Cod. Flor. lectionum varietatem iam dudum propositam esse in: *Neue Bibl. d. schönen Wissensch. u. freien Künste*, Bd. 59. pag. 311 sqq. Neque poterat fieri, ut denuo schedis meis transcriptis suo quidque loco collocarem. Quare haud spernendam hanc editionis accessionem, etiam si cum excusatione inducenda est, benigne acceptum iri, spero optoque. Etiam de qualicunque mea Lucilii versione verbo monere candidum lectorem volebam; eam neque propter suam neque propter Lucilii praestantiam esse adiunctam, sed quia haud exiguae interpretationis meae parti brevissime ita satisfactorum me putabam. In ea etiam eas plerumque coniecturas amplexus sum, quas ipsis Latinis versibus indere nolueram.

v. 138. Cod. habet: *Prospectare chaos et sine fine minas. vastum* in margine est; quo egregie meum de hoc versu iudicium firmari vides. Matth. legit: *Prospectare: chaos vastum et sine fine ruinas.* v. 146.

Semper in incluso etc. non: *semper et in clusa*. v. 149. *riguos* est emendatio Heinsii, Cod. *riuos*. v. 150. *Flammaeve ruit*. v. 151. *Obliquumque seçant, quae causa tenerrima caussa est*. v. 161. *Namque illis quae-eun-que vacant hiatibus ontnis*. v. 164. *Quippe ubi qui teneat ventos aquasque morantes*. v. 166. *Explicat erranteis et in ipso limite tradunt*. v. 169. *Nunc Euri Boreaeque Notus nunc huius uterque est*. v. 174. *Haec inmo quum sit species naturave terrae*. Matth. con-ñicit: *Haec imo quum sit* etc. comparans Manil. III, 597. et *ima* suadet apud Virg. Aeneid. IV, 166. — v. 177. *Non illi duce* etc. v. 181. *Porrigit hinc artus penitusque exaestuatur ultra*. Quo meae rationes aliquid quantum turbantur. Apud eruditum lectorem sit iudicare, utram lectionem praeferre velit; mihi quidem etiam haec scriptura, quae ad crateris aestum faceret, aliena ab hoc loco esse videbatur. Recte autem divinaram, vs. 186. non abesse a Codice. Legitur hic versus: *Haec operi* (non *operis*) *visenda sacri* etc. post v. 188. *Nunc opus est* etc. Matth. collocari eum iubet ante: *Haec illi* (ita enim Cod., non *illis*, *sedes* etc. simul igni suspicans. v. 188. *Nunc opus artificem incendi causamque reposcit*. Quod probat Matth., provocans ad v. 199. Et cedendum videtur Cod. auctoritati. v. 192. *tuto. moneam* etiam Matth. legi vult. v. 194. *aditus* Matth. explicat: accessus difficiles. v. 204. *Ne sepulta*. v. 197. Matth. legit: *quid torqueat Aetnam*. v. 196. Matth. *exustae glomeratus*.

v. 202. Matth. *Tunc fusca.* v. 203. *tantos* ex Cod. recipit, parenthesi: *Ipse procul — tantum tremis* includens. v. 207. *operit* legit, ut ego conieceram, etiam Matth. ex edd. Aldin. (quae exscribentium errore ita haud dubie habent), idemque iam a Burm. ad Claudian. R. Pr. I, 171. inventum esse memorans; quae editio in urbe nostra non reperitur, sicut alia, quibus aegre carui. *veniunt et cadunt explicat eveniunt, accidunt. robusti* (v. 209.) cum Wernsd. scribit et v. 208. *corporis ullis.* v. 214. Cod. *Nam prope nequicquam pars est violentia flammae. flammae* recipio. v. 221. Cod. *Cur subito cohibentur iners. vires* ab Emendatione Heinsii est. Quod etiam nunc retineo, simul *Cur* assumens. Matth. *Cum subito cohibentur, iners quae causa silenti,* qui idem v. 220. *pascat* coniicit. v. 223. Cod. *laboratis.* Matth. *laboranti ad digna.* v. 227. *Ingenium sacrare* etc. Matthiae probatur. v. 232. *Hoc brevior cursu bisenos pervolat orbis.* Magis magisque Scal. lectio labefactatur, quam tunc recipere debebam. v. 234. *Quae suos* (non *quaeve*) v. 236. Etiam Matth. a Lucilio versum esse iudicat. v. 237. Pro Panope Matth. *Phatno* suadet ex Arat. Diosem. 160 sqq. (cf. Schol.) 264. et Eratosth. Catast. p. 4. ed. Fell. — v. 254. Cod. *magis affinis.* v. 252. Ioh. Schrader. in marg. Pith. legit: *Sed prior hac homini cura est.* 258. Cod. *Terimurque labore. terimur recipio.* v. 260. *Tum demum humilesque iacent.* v. 263. *Fertilis haec segeti, feracior*

altera viti. v. 268. *Horreaque ut sature tumeant ut dolia musto.* v. 271. *Torrentur flamma.* v. 273. *Sic avidi semper quovis est carior ipsis.* *Quovis* etiam Cod. Medic. Schraderi collatio, Heerenii *quo visum.* v. 275. *Sunt animi fruges, haec rerum est optima merces.* Haec vera scriptura est. — Versus 270—272. in hoc etiam Cod. aliam sedem habent, quam in rell. Codd., neque tamen eam, quam ego assignavi. sed post v. 258.

*Torquemur miseri in parvis, terimurque labore.
 Scrutamur rimas, evertimus omne profundum,
 Quaeritur argenti semen, nunc aurea vena,
 Torrentur flamma terrae, ferroque domantur,
 Dum sese pretio redimant, verumque professae
 Tum demum humilesque iacent, inopesque relictae.*

Quem ordinem probans Matth. *latentes* scribit pro *labore*, et *verrimus* cum Wernsd. (Ioh. Schrader. *everrimus*), deinde: *Tum demum viles iaceant.* Sensus hic esset: *terrae* torquentur, ut se pretio (auro, argento in venis latente) redimant; quum verum (metalla) professae sunt, viles et abiectae sunt. Satis argute. Sed non vere, si quid video. nam in hoc tenore *terra* non *terrae* dicendum erat. hyperbole enim esse non potest adiecto: *ut sese pretio redimant*, quae nimis omnia circumscripta sunt, quam quibus illa figura aptari queat. *verum* autem *professae* terrae non sane a philosopho dici poterant eae, quae metalla exsudent. atque qui ferro domiti et in equuleo torti verum dicunt, non

profitentur, sed confitentur; quid autem hoc sit: *inopesque relictæ*, prorsus non intelligo. Quibus rationibus si argumenta ad hos versus ipsos allata addideris, mecum puto eos in sua praesenti sede relinques. v. 262. *expenditur usus* etiam Matth. coniecerat. v. 265. *dura et melior*, non *duro* in Cod. est. v. 273. Matth. *Sive avidis* suadet, idemque v. 276. aut *quod aut coarctet* putat legendum esse. v. 279. *Non cedere subter* Schrader. coniicit, et v. 280. *animas pro minas. aut tartara rumpi* etiam Cod. Medic. habet. v. 285. Heerenii collatio Ms. Medic. praebet *seu porta cavernae*, quod a Schraderi abest. utraque vs. 288. *quia vertice surgens*.

Haec specimina rursus me admonent, quam multa vitia etiam nunc in hoc poëmate residere debeant, cui tam paucis versibus tot emendationes adiiciantur. Eo maior tamen oritur fides, me ipsum non nimis corrigendi ardori indulsisse. Denique ut omnibus mea industria sic probetur, uti novo hoc additamento haud pauca probari vidimus, et Lucilio opto et mihi.

Scribebam Regimontii in Prussia d. XXVI. Ianuar. mens. MDCCEXXV.

LUCILII IUNIORIS

A E T N A.

Aetna mihi, ruptique cavis fornacibus ignes,
 Et quae tam fortis volvant incendia causae,
 Quod fremat imperium, quid rauces torqueat aestus,
 Carmen erit; dexter venias mihi carminis auctor,
 5 Seu te Xanthos habet, seu Delos gratior illa,
 Seu tibi Dodona est potior; tecumque faventes
 In nova Pierio properent a fonte sorores
 Vota; per insolitum, Phoebos duce, cautius itur.

Aurea securi quis nescit secula regis?

10 Quum domitis nemo Cererem iactaret in arvis,
 Venturisque malas prohiberet frugibus herbas;
 Annua sed sacrae complerent horrea messes,
 Ipse suo flueret Bacchus pede, mellaque lentis.

De etna monte Cod. H. P. Virg. Mar. Aetna 3. qui a quibusdam
Cornelio tribuitur 2.

v. 1. ruptis Cod. H.

3. Quid fr. Cod. H. 3. qui
rauc. H.

4. dext. mihi carm. auct. Apol-
lo: 2.

5. seu te Cinthus H. 3. 2. illa
om. H.

Aetna, und jach aus der Esse Geklüft vorbrechende
 Flammen,
 Welch' ein Betrieb doch so kraftvoll aufwälze den
 Glutbrand,
 Welches Gebot er bemurrt, was heiser die Lohe her-
 vorzwängt,
 Das ist mein Lied. Gunstvoll, o nahe dich, Spen-
 der des Liedes,

- 5 Ob du in Xanthos weilst, ob Delos lieber als
 jenes,
 Ob Dodona dir theurer ist; und in freundlicher
 Eile
 Leite zu neuem Gebet' vom Pierischen Quelle die
 Schwestern;
 Sicherer wandl' ich in Phoebus Geleit unkundige
 Bahnen.

Goldene Zeit, wem wärest du fremd, des fried-
 lichen Herrschers?

- 10 Wo in gebändigte Flur niemand ausstreute die
 Ceres,
 Oder die keimende Frucht vor verderblichem Kraute
 bewahrte,
 Jahresbedarf anfüllte das Haus mit heiliger
 Erndte,
 Bacchus dem eigenen Fuss' entfloss, und zähe der
 Honig

6. Seu tibi do 3. (Do bona
 correct.) dodona H. 3. do-
 done 2. tectumque 2.

7. properant H.

8. tutius H. 2.

9. qui H. 2. 3.

10. iactarit H.

11. malis H. 3. fluctibus H.
 frondibus 3.

12. saturae H. 3. complebant 3.

13. fluveret 3.

Penderent foliis, et pingui Pallas oliva

15 Secretos omnes ageret, quae gratia ruris; —

Non cessit cuiquam melius sua tempora nosse.

Ultima quis tacuit iuvenum certamina Colchos?

Quis non Argolico deflevit Pergamon igni?

Impositam et tristi gnatorum funere matrem?

20 Aversumve diem? Spartumve in semine dentem?

Quis non periurae doluit mendacia puppis,

Desertam vacuo Minoïda litore quæstus?

Quidquid in antiquum iactata est fabula carmen;

Fortius ignotas molimur pectore curas:

25 Quis tanto motus operi, quae causa perennis

Explicet immensum flammæ, extrudat ab imo

Ingenti sonitu moles, et proxima quæque

Ignibus irriguis urat. Mens carminis hæc est.

Principio, ne quem capiat fallacia vatum;

30 Sedes esse dei, tumidisque e faucibus ignem

Volcani ruere et clausis resonare cavernis

Festinantis opus; non est tam sordida Divis

14. Penderet g. olive H.

15. annis ag. tum g.

16. nosce H.

20. Adversum H. g. s. de se-
mine 3.

22. minorda sec. manus mi-
noyda H. littora H.

- Niederträufte vom Blatt', und Pallas der fetten
Olive
- 15 Heimlich gleitende Ström' hinführte, des Landes
Erquickung.
Besser gelang's niemanden, die eigene Zeit zu er-
kennen.
Schwieg vom Colchier wer, der Jüngling' äusserstem
Kampfe?
Wer hat Pergamon nicht in argivischer Flamme be-
weinet?
Oder die Mutter, dem traurigen Grab' der Erzeug-
ten ein Denkmal?
- 20 Oder des Tags Wandlung? und die Zahn' als Same
gestreuet?
Wer nicht beklagt den Verrath des treulos täuschen-
den Kieles,
Minos Tochter, verlassen am einsamen Ufer, be-
jammernd?
Ist doch das Märchen vom Aëtna selbst ein geprie-
senes Epos!
Kühner, zu noch unkundigem Trachten erhebt sich
die Brust mir;
- 25 Welcherlei Grund so Grosses bewirkt, was nimmer
versiegend
Flamm' ausspreize zum Himmel empor, auspresse
dem Abgrund
Mit unsäglichem Schall' Felsmassen, und rings die
Gefilde
Brenne mit flüssiger Glut; dies ist des Liedes Ge-
danke.
Also zuerst, so erhalte dich frei von der Dichter
Verlockung:
- 30 Wohnsitz sei es dem Gott', und es stürz' aus ge-
schwollenem Schlunde
Feuer Vulkans, und es töne zurück des Emsigen
Arbeit
An der verschlossenen Kluft. Nicht ziemt so schmäh-
liches Treiben

25. Quis tantos H. a. m. sec.
et 3. operit H. reperit 3.
que tanta perhennit H. 3.
(sed quis.)

26. Explicat 3. in densum H.

3. 2. flamma 3. extrudat H.
extrudet 3.

27. mollescunt H. mollescit 3.
proxima quaequae 3.

29. ne quis 3. capiet H.

Cura, neque extremas ius est demittere in artes

Sidera; seducto regnant sublimia coelo

35 Illa, neque artificum curant tractare laborem.

Discrepat a prima facies haec altera vatum:

Illis Cyclopes memorant fornacibus usos,

Quum super in eundem numerosa in verbera fortes

Horrendum magno quaterent sub pondere fulmen,

40 Armarentque Iovem; turpe et sine pignore carmen.

Proxima vivaces Aetnaei verticis ignes

Impia sollicitat Phlegraeis fabula castris.

Tentavere — nefas! — olim detrudere mundo

Sidera, captivique Iovis transferre Gigantes

45 Imperium et victo leges imponere coelo. —

His natura sua est alvo tenuis, ima per orbis

Squameus intortos sinuat vestigia serpens. —

Construitur magnis ad proelia montibus agger;

Pelion Ossa terit, summus premit Ossa Olympus.

50 Iam coacervatas nituntur scandere moles,

Impius et miles metuentia comminus astra

33. neq. exima vis est dim. H.
extrema vis 3. extramas 2.
dimittere 2. inertes 2. in
arcea 3.

34. Sidera quae 2. regnam 5.

35. nec 3. currant 2.

37. usus. H.

38. fontés H. 5.

- Göttern, noch ist es erlaubt zu der niedrigsten Arbeit die Sterne
 Hinzuweisen; entfernt im erhabenen Himmel regieren
- 35 Jen' und es kümmert sie nicht, sich zu mühen in der
 Künstler Hanthierung.
 Nicht ganz stimmt mit der ersten die andere Dichter-
 erfindung.
 Dies, so erzählt man, hab' als Esse gedient den
 Cyclophen,
 Als auf dem Ambos jen' in des Tacts Aufschmette-
 ren kraftvoll
 Hammernd mit mächtiger Wucht aushieben den
 schrecklichen Blitzstrahl,
- 40 Jupiters Waff'; ein entehrendes Lied, und sonder
 Bewahrung.
 Wiederum schändet der Aetnahöhn nie-rastende
 Flammen
 Götterverletzend das nächste Gedicht mit phlegräi-
 scher Felsburg.
 Einstens gelüftet' es — Frevel! — herab vom Aether
 zu drängen
 Mit den Gestirnen in Banden den Jupiter, sich zu
 gewinnen
- 45 Sieg, Herrschaft und Gesetz, als Herren der Welt,
 die Giganten.
 Diese sind bis an den Leib von Menschennatur, doch
 herabwärts
 Bäumt sich in Ringe gewunden als Fuss die schup-
 pigte Schlange.
 Hoch zu der Schlacht von gewaltiger Berglast thürmt
 sich ein Wall auf;
 Dort schrammt Ossa Pelions Macht, und den Ossa
 Olympus;
- 50 Und schon müht sich erklimmend die aufgespeicher-
 ten Massen
 Frevelnd die Schaar, und heraus in den Kampf die
 fürchtenden Sterne

39. sub pectore 3. fuerem *m.*
sec. fulmen H.

42. sollicitet H. 3.

43. Temptavere H. 3.

46. sue alva tenes *corr.* alvo

tenuis H. naturae suae 3. suos
 2. una 3.

47. intortus H. 3.

48. motibus H.

49. Ossa creat H. 3. 2.

Provocat infestus, cunctos ad proelia Divos

Provocat * admotis *

Iuppiter e coelo metuit, dextraque coruscant

55 Armatus flammam removet caligine mundum.

Incursant vasto primum clamore Gigantes;

Hinc magno tonat ore pater, geminantque favente

Undique discordes comitum simul agmine venti.

Densa per attonitas rumpuntur fulmina nubes,

60 Aptaque in arma ruit quaecunque potentia Divum,

Et Mars saevus erat, iam cetera turba Deorum,

Stant utrimque Metus. Validos tum Iuppiter ignes

Increpat et iacto proturbat fulmine montes.

Illinc devectae verterunt terga ruinae;

65 Infestae Divis acies, atque impius hostis

Praeceptis cum castris agitur, materque iacentes

Involvens utero. Tum pax est reddita coelo,

Tum Liber celsi venit per sidera coeli,

Defensisque decus mundi nunc redditur astris.

52. infestus H. infensos 2. infensus 3.

53. Provocat. . . admotis H. 3. (sed admotus 3.) om. vs. 2.

54. e coelo 3. H. metuens 2. meruit 3.

55. Admotus fl. H. 3. veno-

vat 2.

57. Hic H. 3. 2. faventes 3. 2. geminatque 2. 3.

58. ventos 2.

59. funduntur 2. 3.

60. Et que in *roll.* desunt in H. 3. Atque in 2.

Fordert sie feindlich genaht; Ja, sämtliche Götter
mit Schlachtruf

Fordert sie.

Juppiter selbst für den Himmel besorgt, hüllt, wie
sich die Rechte

55 Mit rothzuckender Flamme bewehrt, in Dunkel die
Welt ein.

Erst mit des Schlachtrufs Klang laut stürzen herbei
die Giganten;

Da kracht donnernd des Juppiter Mund; vielfältig
verdoppelt

Jauchzt ringsum, zwieträftig gepaart mit den Stür-
men, die Windsbraut;

Dicht im Gedränge durchbricht die umdonnerten
Wolken der Blitzstrahl;

60 Und zu den Waffen vom Schicksal verliehn eilt jeg-
liche Gottheit;

Mavors wüthete hier, und die übrige Menge der
Götter,

Hier wie dort ist die Furcht. Da schilt die gewal-
tigen Flammen

Juppiter, und hin stäubt vom Blitz' durchbrochen die
Felslast:

Jetzt in jählingem Sturz' abrollend wandte zur Flucht
sich

65 Eilig die Götterbedrohende Schlacht, und die fre-
velnden Feinde

Kopflings zugleich mit der Burg hinstürzend umhüllte
der Mutter

Busen besiegt. Da kehrte zurück der Friede dem
Weltall,

Da auch kam der Altar zu den Sternen am Him-
melsgewölbe:

Und noch opfern wir Dank, zum Lohn' des geret-
teten Aethers.

61. scaevus 3.

62. utrunque H. 2. utruque 3.
deus valid. H. 3.

63. victo^s H. victor perturbat 3.

64. Illic 2. devictae 3.

65. Infectae 2.

67. Impellens victos H. 3. 2.
tunc 3.

68. cessa correct. cressa superscr.
de corona adriane celsa 3. 2.
celum H. 3.

69. tunc 3.

- 70 Gurgite Trinacrio morientem Iuppiter Aetna
 Obruit Enceladum; vasti quoque pondere montis
 Aestuat et petulans exspirat faucibus ignem.
 Haec est mendosae vulgata licentia famae
 Vatibus; ingenium est; hinc audit nobile carmen;
- 75 Plurima pars scenae rerum est fallacia; vates
 Sub terris nigros viderunt carmine Manes,
 Atque inter cineres Ditis pallentia regna;
 Mentiti vates stygias undasque canesque;
 Hi Tityon septem stravere in iugera foedum;
- 80 Sollicitant malo te circum, Tantale, poeno
 Sollicitantque siti; Minos tuaque, Aeace, in umbris
 Iura canunt, idemque rotant Ixionis orbem;
 Quidquid et interius falsi consortia terrent.
 Non est terra satis; speculantur numina Divum,
- 85 Nec metuunt oculos alieno admittere coelo;
 Norunt bella Deum, norunt abscondita nobis
 Coniugia, et falsa quoties sub imagine peccent,

70. etnam H.

71. qui H. 3. pondera H.

72. patulis 2. ignis 2.

73. Aer corr. Hec H.

74. hic 3. hanc 2. nobilem H.

75. scenae H. 3. scenica est

rerum 2. verum 3.

76. Subternis H. Subtervis 3.
 inanes 2.

78. undasque canentes H. 3. 2.

79. H. T. poena str. H. 3.

80. Soll. illi te c. T. pena H.

- 70 In die trinakrische Flut stürzt Juppiter unter den
Aetna
Sterbend Enceladus dich; auch unter der wuchtigen
Berglast
Schäumt der Freche, und haucht aus dem Rachen
des Feuers Gewalt aus.
Dies ist des Lügengerüchts durchweg gestattete
Freiheit;
Dichter besitzen Talent; darum heisst edel das
Epos.
- 75 Ist doch die Bühne fast ganz Wahrheitsentstellung;
die Dichter
Haben im Liede geschaut in dem Orcus schwärzliche
Manen,
Ueber zerbröckelten Staub des Dis bleichdämmernde
Herrschaft;
Trügliche Dichter ersannen die stygischen Wogen
und Hunde,
Streckten des Tityos Gier auf sieben Morgen Ge-
feld's hin,
- 80 Plagen, o Tantalus, dich ringsum mit punischem
Apfel,
Plagen mit Durst; Dich Minos und Aeacus, deine
Gerichte
Singen sie unter den Schatten; sie rollen den Kreis
des Ixion,
Und was sonst wahnschaffener Trug zum Grausen
erdacht hat.
Ja nicht die Erde genügt, sie bespähn die Gewalten
der Gottheit,
- 85 Scheuen den Blick nicht frech nach dem reinen
Olymp zu erheben,
Wissen die Kämpfe der Götter, und uns unkundige
Ehen
Wissen sie, oder wie oft in erborgter Gestalt sie
gesündigt,

3. (*sed poena*) magna —
poena 2.
81. (*questi corr.*) que siti H. 3.
sirit 3. tuq. A. 3. cece a. m.
sec. eace H.
82. Isonis 3.

83. falsi sibi conscia terra 2.
84. Nec ut t. s. (*ut induct.*) H.
Haec ut vera satis 3. numi-
ne 3.
85. metiunt oculis 3.
86. nobis H.

Taurus in Europen, in Ledam candidus ales
Iuppiter, ut Danaae pretiosus fluxerit imber.

90 Debita carminibus libertas ista; sed omnis
In vero mihi cura; canam, quo fervida motu
Aestuet Aetna, novosque rapax sibi congerat ignes.

Quacunq̄ue immensus terrae se porrigit orbis
Extremiq̄ue maris curvis incingitur undis,

95 Non totum est solidum; deficit namque omnis hiatu,
Secta est omnis humus, penitusque cavata latebris
Exiles suspensa vias agit, utque animantis
Per tota errantes percurrunt corpora venae,
Ad vitam sanguis qua omnes circum meat artus,

100 Terra voraginibus conceptas digerit auras.
Scilicet aut olim, diviso corpore mundi
In maria ac terras et sidera, sors data coelo
Prima, sequuta maris, deseditque infima tellus,
Sed totis rimosa cavis — ut, qualis acervus

105 Exsilit, imparibus iactis ex tempore saxis:

88. Europem H. Europam 3.
89. om. 3?
92. Aestuat H.
93. se terrae H. 3. 2.
94. Estremiq̄ue — hac igitur H.
hic agitur 3. agitur ab un-

dis 2.
95. Non *correct.* Nam. H. in-
solidum 2. desinit H. de-
sunt 3. desit 2. hiatus H. 3.
97. inque animanti H. 3. agi-
turque animantis 2.

- Wie mit Europa als Stier, als blendender Schwan
mit der Leda
Juppiter, wie er für Danae floss als köstlicher
Regen.
- 90 Ziernend ist solcherlei Freiheit dem Lied'; doch
mir ist die Sorge
Wahrheit allein; ich singe, durch Welch Aufregen
der Aetna
Kochet in Wut, und erneuerten Brand sich räube-
risch anrafft.
- Nirgends, so weit unermesslich das Rund der Erde
sich ausdehnt,
Bis wo des äussersten Meers umbiegende Wog' ihn
umgürtet,
- 95 Ist er ein Ganzes und dicht; nein, ganz in Spalten
zerborsten,
Ganz durchbrochen der Grund, und innerlich hohles
Verstecks voll
Leitet er schwebend unmerkliche Pfad', und wie bei
den Thieren
Rings den Körper hindurch verschlungene Adern
durchziehen,
Dass für das Leben das Blut durchwalle zu jeglichem
Gliede,
- 100 Also zersetzt die in Schlünden empfangenen Lüfte
der Erdkreis.
Nämlich entweder dereinst, da des Weltalls Leib
in Gestirne,
Land und Meer sich zertheilt, und das Höchst' er-
loste der Himmel,
Ihm drauffolgte der Meer, und zu unterst ruhte der
Erdkreis
Lückenhaft doch durchweg, voll Höhlungen, — dass,
wie ein Haufen
- 105 Aufwächst, sind ungleich, zufällig wo Steine ge-
schüttet,

99. sanguis omnis qua comeat
idem H. 3. sanguisque 2.

100. dirigit H. 3. 2. aures H.

101. haud olim 2.

102. et terras 3.

103. Secura corr. secunda H.
descendit 3. sedit 2.

104. et H. 3. 2. acervus corr.
acervus H. acervis 2. acervus
3.

105. Exiit H. 3. Exeat 2.

Sic crebro introrsus spatio vacuata, corymbus,

Pendeat in sese simili quoque terra figura

In tenues laxata vias, — non omnis in arcum

Nec stipata coit; sive illi causa vetusta est,

110 Nec nata est facies, sed liber spiritus intra

Effugiens molitur iter; seu limpha perennis

Edit humum limo, furtimque obstantia mollit;

Aut etiam inclusi solidum vicere vapores,

Atque igni quaesita via est; sive omnia certis

115 Pugnare locis; non est hic causa docenda,

Dum stet opus causae. Quis enim non viderit illud,

Esse sinus penitus, tantos emergere fontes

Quum videt ac torrentem imo se mergere hiatu?

Non Nili ex tenui vortex alit arva; necesse est,

120 Confluat, errantes arcessens undique et undas

*Nec dum ultra Tiberim belli sonus, ultima praeda
Nomentum et captas iugera terna Corae.*

v. 18) Multi τὰ προικὰ scripserant, etiam temporibus Augusti, quorum aliquot tetigit Ovidius de Ponto. SCAL. Coniungunt hunc versum cum proximo, ut *Pergamon imposita* dicatur. Quod improbandum est. Quamquam enim *haec Pergamus* Statius habet Silv. III, 4, 12. 67. 106. *Haec Pergamon* Senec. Troad. 14. ubi cf. Gronov. *Hoc Pergamon* Senec. Agam. 421. *Infelix Pergamon* Sulpicius Apollinaris apud Burm. Anthol. T. I. Lib. II. Epigr. 174. v. 5. tamen et *haec et hoc Pergamon* simul unus scriptor vix usurpaverit; neque enim morari nos debent Senecae loca, de quibus alio tempore dicitur. Lucilius autem *flexibile Pergamon* infra habet. unde hic *impositam* alio pertinere, iure concludimus. deinde, quis urbem tanquam corpus aliquod igni impositam audivit? posse dici, si quis satis audax sit, non nego. non ausus est tamen Manil. IV, 63.

*Quid memorem eversas urbes, rerumque ruinas?
Inque rogo Croesum, Priamumque in litore truncum,
Cui nec Troia rogas?*

Quod si superiori difficultati hanc adiunxeris, certe mecum cum versu sententiam finiri putabis, ut sit *Ἰλιος ἔμπυρος*. atque sic iam Cod. 3. optime distinxit.

v. 19) *Matrem tristi natorum funere* dictum ad exemplum illius Virgiliani:

domus sanis dapibusque cruentis.

Id quod aut de Medea intelligendum, cuius fabulam ediderunt Ennius, Attius, Ovidius, aut de Aerope Thyestis uxore, cuius filios epulandos Patri apposuit impius frater. Eam fabulam edidit Varius Virgilio amicus et multo ante Ennius. Sed praestat de Iocasta intelligere, quae mutuis vulneribus confectos amisit filios; postea enim Thyestis fabulam tangit, quum ait *aversumve diem*. SCAL. Alii de Hecuba intelligere malunt; atque ita iam Cod. H. glossator interpretatur. nec potest aliter, si recte scribimus: *Impositam et matrem*. quod nego. Nam quam vage haec fabula significetur, et Scal. fluctuatio demonstrat, et rell. interpretum; siquidem *impositam* vel priori versui adiungimus, vel dici putamus pro: *additam*. Ego contra dico esse matrem *impositam* tanquam monumentum aliquod gnatorum funeribus, et dum aut pro *et* scribo, ad Niobem refero. Ita Propert. locutus est III, 12, [II, 20] 7.

Non tantum Niobe bis sex ad busta superba

Sollicito lacrimas defluit a Sipylo.

Prop. imitatur Sidon. Apoll. XII, 79. propius etiam ad Lucilii verba, ut alibi, Nemesian. accedit Cyneg. 15.

Nam quis non Nioben numeroso funere moestam

Iam cocinit.

cui cf. Propert. III, 27, [II, 31] 14. ne autem casus sextus *funere* molestus sit, compara quasi factum ad illustrandum hunc locum Nemesian. Cyneg. 38.

Et flentes semper gormani funere silvas.

cui adde, quae exempla collegit Lachm. ad Prop. V, [IV] 8, 10.

Quam temere agnino creditur ore manus.

Sed quid si frustra torquemur? Hic enim in Cod. Vet. de quo cf. Praef. prima pagina finiebatur, et omnis haec obscuritas inde potest orta esse, quia versus unus intercidit.

v. 20) Codd. omnes *Adversum*. sed iure correctum est. Senec. Thyest. 1035.

*Hoc est quod deos puduit, hoc egit diem
Aversum in ortus.*

Ovid. Amor. III, 12, 39.

Aversumque diem, mensis farialibus Atrei.

quibus add. Claudian. B. Gild. 399. Quod autem filiorum *butum* Thyesten Manil. nominavit IV, 461., imitatus Attium apud Cic. Offic. I, 28. hinc possit alicui vs. 19. videri cum hoc iungendus esse, *patrem impositum* et *Aversumque* scribenti; quod tamen ego nolim.

Ibid) Melius *in semina*. Nam dentes vicem seminum fuerunt. Intelligit de Thebaide Pontici poetae, qui temporibus Virgiliti scripsit. SCAL. Hac correctione, quam reliqui amplexi omnes sunt, vide, ne male de poeta actum sit. Nam *in semina* si spargerentur dentes, semina ab iis eadem provenire voluisset. ut apud Claudian. B. Get. 26.

Et in segetem crescentis semina belli.

ut hic de bellis bella, sic apud nostrum dentes de dentibus expectarentur. Ab Iasone autem (malo enim ad Medeam referre) scimus omnes

Vipereos dentes in humum pro semine iactos.

ut ait Ovid. Heroid. VI, 33. i. e. tanquam semina; et quae *sevit*, *armigera proslia* fuerunt Prop. III, 4, [II, 13] 17. Ergo *in* hic positum est, ut apud Virg. Aen. I, 176.

Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.

quod bene Heyne *pro fomite* explicat; et vide, quantas etiam illic Codd. peiores turbas moveant. Similiter etiam Ovid. Met. V, 81.

Exstantem signis multaeque in pondere massae.

et Lucret. V, 1307.

Tentabant etiam tauros in munere belli.

ubi non recte legi voluerunt *in munera*. Recte etiam Statio consulat Gronov. in Theb. VIII, 225.

Nunc funera rident

Auguris ignari, contraque in pectore certant

Tiresiam laudare suum.

dum ex Codd. pro malo correctorum invento *in tempore* veram poetae scripturam reddidit. cf. praeterea de hac huius praepos. abundantia Oudend. ad Appulei. p. 21.

v. 21) Intelligit Catallum, qui Ariadnes a Theseo desertae conquestionem poematio suo de nuptiis Pelei inseruit. Meminit et Tibullus:

Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,

Ingrati referens impia facta viri.

Ita omnes poetas sui temporis, aut qui propius ab ea aetate abfuerunt, designavit. SCAL. Ipsa verba Catulli expressit v. 57.

Desertam sola miseram se cernit arena.

v. 23) Malo *crimen*; quidquid iactent fabulae, nos aliud molimur. SCAL. Non expedire videtur impeditissimum versum Scal. mutatio, quam cum Wernsd. omnibus puto assentientibus ego reiicio. Sensem suspicari licet esse eundem, quem expressit Manil. II, 37. in re ali :

Quorum carminibus nihil est nisi fabula coelum.

quem Wernsd. ita extundit, ut corrigat:

Quidquid item antiquum, iactata est fabula, carmen.

Hoc ipsum hiulcum est; vel si, inconcinnis versibus, ita distinguas: *fabula; carmen. Fortius, ignotas molimur — curas.* quamquam enim non semel sextum pedem a reliquo versu sciunctum infra videbimus; haec tamen versus sequentis incisio versus nostri talem distinctionem reiicit; atque in docenda versuum ratione rarius quam decet carminum iuncturam respicere solemus. coniungi certe versus voluit Cod. 3. post *carmen* non incidens. Mihi quidem verissimum est, Lucilium scripsisse:

Quid, quod et Aetnaeum iactata est fabula carmen?

Nam pergite:

Fortius ignotas molimur pectore curas:

Quis tanto motus operi, quas causa etc.

quae ad propositum nimis abrupte referri vides, nisi hoc versu sibi quendam transitum paraverit. Neque quidquam magis expectatur, quam in hoc fabularum recensu eam afferre, quae et celeberrima et proxima ad rem erat. *cura* autem *ignota* carmen philosophicum designat; audacius loquitur Ovid. Pont. IV, 16, 39.

Essent et iuvenes, quorum quod inedita cura est,

Appellandorum nil mihi iuris adest.

vel Nemesian. Cyneg. 58.

taliquis placet dare lintea curae.

quamquam hic vix dubito, quin *cursu* scribendum esse affirmem; quae ipsa loquendi ratio notum est quam late pateat.

v. 25) Difficile iudicium est, utrum vulgatam cum Cod. 2. retineas, an vestigia Cod. H. et 3. secutus, scribas:

Quis tantos motus aperit.

quod ego facere nolui propter has causas: *tantos* ad *motus* correctum esse H. patefacit, in quo lit. s manus secunda addidit. vox *operis* non semel in alias voces transit errore scribentium, velut vs. 297. et contra *operit* in *operis* mutatum est v. 207. Praeterea oratio vulgatae lectionis philosopho poëtae, quem hic iam agere incipit, melius conveniet, quam vs. 3. repetitio:

Quod fremat imperium etc.

vel quod propter ornatum infra posuit:

Aut qui mirandus tantae faber imperat arti.

v. 26) Vulgatam: *Explicit* in *densum flammam* explicuerat Gorall. de densa materia; recte refutatus a Menckonio in Misc. Lips. nov., qui de aëre intelligit. sed quamquam sensum haud dubie vidit, non tamen in hoc verbo eum persuadebit inveniri; nam illud quidem probatione non indiget, dici aerem *densum*, sed nemo unquam *densum* pro *denso aere* scripsit; eodem iure posses de imbre ita scribere, quia *densissimus imber* est. quid autem esset in *densum*, ipse Lucil. aperuit v. 211.

In densum collecta rotant.

Deinde, ut possis ita loqui, non tamen huc *densus aer* quidquam facit. Senec. N. Q. I, 2. *Nunquam ergo ullum sidus talem tibi effigiem circumdabit, nisi quum aer densus et immotus.* et. cap. 3. *Itaque quod in aliis efficit densus aer, in his facit omnis — longe autem magis visum nostrum nobis remittit, qui crassior est.* Itaque *denso aere* Mercurius parentem sustulit Horat. Carm. II, 7, 14. adde, quae ad Lucan. I, 537.

Et varias ignes denso dedit aere formas.

Bentl. apposuit, Senec. N. Q. VII, 21. (add. 20, 22.) Cic. de divin. 1, 42. Quod si ipsam Aetnam Lucil. *densum aerem* (addita tamen hac voce) sive crassam caliginem in *mundum* seu coelum *serenum* explicare diceret, probarem; nunc non dubitavi rescribere:

Explicit immensum flammis etc.

de qua voce pro *in immensum* posita exempla vide apud N. Heins. ad Eleg. de Phoenice 103. et Oudend. ad Appulei. p. 8. Sic. Ovid. Met. II, 220.

Ardet in immensum gominatis ignibus Aetno.

Lucil. autem v. 136.

Immensum plerumque sinus et iugera passim

Intercepta licet — Prospectare.

Porro Vulgata *eructat* a correctoribus est. atque eleganter inventum; ita enim omnes de Aetnae incendiis, quorum infinita mentio est. neque tamen audeo ab H. et 3. auctoritate recedere; et habet Lucil. Lucretium auctorem VI, 690.

Funditque ardorem, longe longeque favillam

Differt, et crassa volvit caligine coelum,

Extruditque simul mirando pondere saxa.

v. 28) Eleganter *irrigui ignes*, per poros ac meatus manantes. Ita Seneca loquitur: *corpus nostrum et sanguine irrigatur et spiritu, qui per sua itinera discurrit.* Nam dixit *spiritu irrigari*, ut hic dicuntur *irrigui ignes*. Et Lucretius dixit *rigare lumine*. SCAL. Wakef. ad Lucr. IV, 203. scribi iubet: *Ignibus irriguis undet.* Cur? *proxima quaeque* simili oratione habent Ovid. Trist. I, 821. et Pont. III, 3, 24.

v. 29) Statuo pro *fallacia* omnium Codd. lectione *pellaciam* esse reducendam, in quo non vereor, ne mihi audacia exprobre- tur. *fallaciam* enim, si nihil praeter errorem ostendat, cupide ipsi fugimus; sed blanda poetarum invitamenta aequae periculosa sunt ei, qui verum exquirat, quam

Subdola quum ridet placidi pellacia ponti

eos excaecat, qui quaestum venantur. atque ubique hanc vocem exterminari, satis ab aliis demonstratum est.

v. 31) Wakef. ad Lucr. IV, 203. Vulcani *fluere* corrigit, quia *ruere* sit illepidum. Sed tuetur Lucilium Claudian. R. Pr. I, 171.

Quo fonte ruit Vulcanius ignis.

Tangit autem poeta Virgil. Aen. VIII, 416 sqq., ut verborum imitatio ostendit.

v. 33) *Extremas artes ταπεινὰ ἐπιτηδεύματα. Οὐ ποιη-
τέον τοὺς θεοὺς ταπεινὰ ἐπιτηδεύοντας.* SCAL. Recte antt. edd.
demittere ut Cod. 3. *dederunt*. quamquam non minus recte Ovid.
Met. VIII, 188. de Daedalo dicit: *ignotas animam dimittit in
artes*. ille enim anquirat, nostro loco comparetur Lucan. V, 340.

Nunquam sic cura Deorum

Se premet, ut vestras morti vestraeque saluti

Fata vacent.

v. 34) *Seducto non subducto legendum.* SCAL. Atque sic
habent Cod. H. et 3. contra 2. *subducto* videtur edd. antt. prae-
buisse; nam pro certo non affirmo.

v. 37) *Lege illi, i. e. altera species vatum; nam dixit: dis-
crepat a prima facies haec altera vatum.* Duas species intelligit;
primam eorum qui *ἐπιθεωροῦνται*, alteram eorum qui *μυθολο-
γοῦσιν*. In illis *δεισιδαιμονία*, in his *τρατολογία* notatur. SCAL.
Mireris fuisse, qui post hanc explicationem *haud* pro *haec* legere
voluerint, tanquam fabulae nihil discrepent. conf. si in re nota
licet ad alterum auctorem gravem provocare, Voss. Antisymbolik
p. 240 sq. Neque tamen *illi* cum Scal. corrigo, quum *illis* aequè
bene ad Aetnam referatur. *Illi* his Markl. suadet ad Stat. Silv.
I, 1, 68.

v. 38) *Haereas, utrum numerosa ad fortitudinem interpre-
tans de ictu multiplici intelligas, an Virgil. putes ante oculos fuis-
se, ubi In numerum brachia tollunt.*

v. 40) *sine pignore.* Hoc est ex persona Poëtae, quasi su-
periora illa, utpote fabulosa, refellentis. Est autem metaphora
a sponsionibus, seu a sacramenti more. Hoc Graeci dicunt
ἀνέγγυον, cuius nomine nihil praestetur. Ita apud Plutarchum
γάμοι ἀνέγγυοι, quasi eorum evictio non praestetur, i. e. illegitimi.
Ita infra locutus:

Verum certo tibi pignore constet.

Item:

certis tibi pignora rebus,

Atque oculis haesura tuis dabit ordine tellus.

id est, *οὐκ ἀνέγγυον τοῦτο ἔσται.* Ovid.: *et ut credar, pignora
certa dabo.* Hinc illa: *quovis pignore, quavis sponsione conten-
dam, certabo.* SCAL. Omnes habent: *turpe est sine pignore*

carmen; praeter unam ed. Seb. Brantii, in quam ipsam e scribentium errore et venisse puto. est tamen lectio verissima in hoc epiphonemate.

v. 42) *Castris*. Atqui veteres editiones habent *campis*. Quis ignorat dictum *Φλαγραίων πεδίον*; SCAL. *Castris* in omnibus Codd. est.

v. 46) Si ita interpungas, *his natura sua est*; erit sensus: illis propria natura sua est et seorsum ab aliis hominibus. Sunt enim bimembres, id quod Graecanice dictum; nam *ιδιάζουσιν φύσιν* dicunt et *τὰ ζῶα ἰδιοφύη* apud Laërtium, Anaxagora. Vel si ita: *his natura sua est alvo tenuis*; intellige alvo tenuis suos esse, hoc est, homines. SCAL. cf. Gronov. Obs. II. c. 11. pag. 76. ed. Lips.

v. 47) Non ausim hanc lectionem immutare. Tamen antiquitus excusi habent: *similat vestigia*, non male. Item iidem libri habent: *Pelion Ossa creat, non terit*. Quod sane placet. Id est, auget, ex duobus montibus creatur unus. SCAL. Videtur imitari Manil. 1, 440.

*Quam propter Cetus, convolvens squamea terga,
Orbibus insurgit tortis et fluctuat alvo.*

v. 49) *Ossa creat* et Codd. et edd. ante Pith., quantum scio, omnes habent; quod vereor, ut se tueri possit. Proxime accedunt Manil. versus I, 435. quos tanquam spurios notavit Bentl.:

*Arma importantes et rupta matre creatos,
Discordes vultu, permixtaque corpora, partus.*

Quos versus cur Bentl. damnaverit, quum eius editione uti non licuerit, nescio; sin salvos voles, scribe *ex rupta matre creata*; atque sic alicui videatur alter locus ab altero lucem accipere. *terit* autem Pith. quamquam quin coniectura nitatur non dubito, eicere tamen nolebam, ipse coniciens, quod magis est idoneum et ad literarum ductus propius:

Pelion Ossa gravat, summus premit Ossan Olympus.

Temeraria Friesemanni mutatio est: *summum terit Ossan Olympus*. Ceterum arctissime in tota hac fabula Lucilius Manilii vestigia legit I, 428 sqq.; quem omnino conf. nostri autem simillimi sunt Rutil. Itin. I, 99. et Claudian. Gigant. 9.

v. 52) *Cunctosque* SCAL. ut ad Iovem pertineret. Sed ego ad Gigantas refero, ut sit *αὐξήσεις*, quae voce *cunctos* addita haud mala est.

v. 53) Cod. 2. cum plerisque edd. hunc versum omisit; scilicet, ut integritati poematis consulerent. Unde Wernsdorfium (cf. eius Exc. I.) in errorem induci videmus, quasi ex varietate lectionis hic versus ortus sit. Sed vide, quid in Praef. monuerim; ad sententiam facit Manil. I, 429.

*Quum di quoque magnos
Quaesivero deos. dubitavit Iuppiter ipse,
Quod poterat, non posse timens.*

Manilium imitatur Petron. cap. 124: de Reip. immut.

mutataque sidera pondus Quaesivero suum.

neque te moveat, quod de tautologia Wernsd. queritur, in repetito verbo *provocandi*; conf., ne argumentis pugnem, Ovid. Fast. VI, 322.

*Convocat aeternos ad sua festa deos,
Convocat et Satyros, et rustica numina Nymphas.*

v. 54) Fortasse: *Iuppiter et coelo metuit*; sed in sensu lacero nil certi statui potest. *dextraque coruscant* etc., quum omnes Codd. et antiquitus excusae praebeant, recipiendum videbatur prae correctione *dextramque corusca*. conf. Claudian. B. Get. 63. Ovid. Fast. III, 439. Senec. Hippol. 1136.

v. 55) Cod. 2. cum edd. antt. *renovatque*. quod Scal. praetulit ad vs. 57. neque reliquis interpretibus, neque mihi satisfaciens. accedit auctoritas H. et 3. *removetque* praebentium. Quae lectio ambiguum sensum habet. Gorall. et Drakenb. ad Sil. I, 84. per hypallagen explicant. Crebris fulminibus tenebras fugatas esse volunt. Sed Iuppiter vs. demum 57. magno tonat ore. Si hypallagen statuimus, aliter interpretor: coelum a nocte antiqua, quam Gigantes, *detrusis sideribus* minitabantur, esse defensum. oratio ad analogiam verborum defendendi et prohibendi ficta esset. Sic Lucret. V, 120.

*Qui ratione sua disturbant moenia mundi,
Praeclarumque velint coeli restinguere solem.*

Manil. V, 46.

*Quin etiam tenebris immersum Tartaron atris
In lucem de nocte vocant, orbemque revolvunt,
Interiori versus, naturas foedere rupto.*

Sed etiam hanc explicationem, propter inusitatam vocis *removendi* iuncturam, sperno; quamquam in Lucilio haec vix unice movere me possit. Accedit autem Schol. Theonis, ad Arat. Phaenom. 403. ἐπὶ τοὺς Τιτᾶνας ἐστράτευσεν ὁ Ζεὺς, Κυκλώπων κατασκευασάντων, ἔχων ἐπὶ τοῦ πυρὸς κάλυμμα, ὅπως μὴ ἴδωσι τὴν τοῦ κεραινοῦ δύναμιν. Quapropter Wernsd. sequor, qui *nubilum coelum* intelligit, afferens Ovid. Fast. II, 493.

Sol fugit et remouent subeuntia nubila coelum.
cui adde Lucan. I, 541. Ovid. Pont. IV, 8, 59. ubi cf. N. Heins. et Amor. II, 1, 15. Albinov. Fragm. de navig. Drusi 74.

v. 57) Lege:

*Hinc magno sonat ore pater, geminantque faventes
Undique discordes comitum simul agmine venti.*

Porro in superioribus versibus, pro *removet caligine mundum*, re-
pone ex obsoletis *renovat caligine*, i. e. mutat pristinam formam
mundi. Ita enim ad eum sensum usurpabant veteres; unde *no-
vare membra* quum radunt. Arnobius: *quid novatio et revelatio
pudendorum?* Estque verbum iuris *novatio*, a qua mente *novacula*
dicta est. Eaedem edd. melius habent, *e coelo metuens*, non, ut
recentiores, *e coelo admotus*, SCAL. *Favente* ex Cod. H. dedi;
versus sunt integri; neque est, ut cum Wakef. ad Lucr. VI, 198.
novemus:

geminantque faventes

Undique discordi fremitum simul agmine venti.

Si quid mutandum esset, *sonitum* propius abesset a voce *comitum*.
Non absimilis Tibulli oratio est, IV, 1, 124.

Et fera discordes tenuerunt flamina venti.

Hinc a Scal. recte scribi indicavi; *sonat* non item.

v. 59) Repone ex veteribus *rumpuntur*, ut infra:

frago tota nunc rumpitur Aetna.

et

rumpiturque cavis fornacibus ignes.

SCAL. *rumpuntur* est in Cod. H., quum contra consuetudinem
Cod. 3. et 2. conveniat, *funduntur* scribentibus.

v. 60) *Lego: aequaque in arma ruit.* Hesiodus:

*μάχην ἀμέγαρον ἔγειραν
Πάντες, Θήλειαι τε καὶ ἄρσενες ἤματι κείνῳ,
Τειγῆνές τε θεοὶ καὶ ὅσοι Κρόνου ἐξηγέοντο.*

SCAL. *Atque in arma* Cod. 2. habet cum edd. vett. *Quin et in a.* nescio quis ex coniectura scripsit. Quod probari non posse, acute Scak. intellexit; nihil enim hic *quin* valet, quam ut aliquo modo versui labanti aliequin succurrat. Neque tamen *aequa* eius arma probarim. quae enim sunt *aequa?* aut *cui?* Quare proxime ad Codd. peccata repono:

Aptaque in arma ruit quascunq̄ potentia Divum.
ut Ovid. Pont. IV, 16, 34.

Aptaque venanti Gratius arma dedit.

Sunt autem *apta arma* a Iove concessa in uniuscuiusque honorem. Ita saepe haec vox usurpatur. Ovid. Met. VI, 690. de Borea loquitur:

Apta mihi vis est.

Fast. V, 103.

*At tu materno donasti nomine mensem,
Inventor curvae, furibus apte, fidis.*

cf. v. 334. 415. IV, 125. Senec. Herc. fur. 906. Propert. IV, [III] 22, 19. Ovid. Amor. I, 9, 13. Manil. IV, 189 sqq. *Potentiam* autem deorum munus, γέρας, dicit, quod alii honorem, decus; *potentiam* Manil. I, 58.

*Postquam omnis coeli species, redeuntibus astris,
Descripta in proprias sedes et reddita certis
Tantorū ordinibus sua cuique potentia formae.*

idem II, 448.

*Hinc quoque magna tibi venient momenta futuri,
Quum ratio tibi per stellas et sidera curret:
Argumenta petes omni de parte viasque,
Artis ut ingenio divina potentia surgat.*

quem locum interpunctione iuvisse mihi videor. Sic etiam Senec. N. Q. VI, 23. *Inde Neptuno haec assignata est movendi potentia.* Atque hinc est Tibull. explicandus I, 4, 38.

Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
quod apertius Stat. Theb. I, 704.

Aetherii dono cessere parentes

Aeternum florere genas.

v. 61) Lege:

Et Mavors saevus et cetera turba Deorum

Stant utrimque metu.

Nam stare metu, ut stant pulvere nubes, stat sentibus pectus. SCAL. Ego nihil mutandum esse censeo; neque pugnabo, si intercidisse versum affirmabis; propter hiantem enim orationem hanc Scal. correctionem appositam esse, quivis perspicit. Vocem *Metus* maiuscula scripsi; de Deo argute Lucilius in utraque acie stante. *Φόβος* etiam latinis poëtis ad partes vocatur, veluti Claudian. Cons. Olybrii 77. in plurali numero Stat. Theb. VII, 47. *Timorem* habet Virgil. *Fugam* Valer. Flacc. VI, 181. cf. Sil. IV, 327. Idem nunc video iam Arnold. Schmid. in vers. germ. occupasse.

v. 63) Difficile de hoc versu iudicium est. *victo*, sed a. m. sec. *vinctos* habet H. *victor* 3. *iacto* 2. nam ut facilis lapsus erat *victo* pro *iacto* scribentium, ita *iacto* videri posset ex correctione fluxisse, ne *fulmine* suo epitheto destitueretur, pro *victor*. Malui tamen cum vulgata stare, quia prima manus Helmstadiensis nos ad *iacto* ducit, quod vitiose *victo* scriptum alii in *vinctos* alii in *victor* mutarunt.

v. 64) *Devectae* omnes Codd. habent. blanda Wernsd. conjectura est: *devecta* — *ruina*; sed nihil mutandum. Ovid. Trist. III, 5, 5.

Versaque amicitiae terga dedere mæae.

v. 66) *Impellens victos*. Id est, et mater Tellus, quae adhuc hortabatur Gigantas, quamvis iam victos et fulmine affictos; Mater, inquam, et ipsa fulmine petitur. SCAL. Quidquid molitur Scal., nunquam cuiquam persuadebit, ut versum perditum pro sano accipiat, id quod Wernsd. probavit. Quod autem Pith. in margine habet: *Amplexa est gnatos*, dubium non est, quin ex eius ingenio fluxerit, quamquam Friesem. Collectan. p. 183. sic Codd. manu exaratos habere affirmat. Sed nulla fides homini temerario habenda est; habuit ille quidem, ut ex Friedr. Christ. Matthiae Programm. anni 1822 video, lectiones Cod. Florent. a Nic. Heins. manu adscriptas, sed scimus a quo demum hæc versu

incipiant. Pith. autem Cod. nactus Helmat. similem, eius VV. LL. modo margini apposuit, modo recipit, interdum, sed raro suas coniecturas amplexus. Hic expressisse videtur Plin. H. N. II, 63.

Quae Terra nos nascentes excipit, natus alit—novissime amplexa gremio iam a reliqua natura abdicatos, tam maxime ut mater operiens. Sed quum haec lectio longius a Codd. vestigiis recedat, mea duntaxat correctio recipienda fuit:

Materque iacentes

Involvens utero,

Scriptis etiam hic ad exemplum Manil. II, 876.

Vix matre minores

Exstiterunt partus; sed fulmine rursus in alvum

Compulsi, montesque super rediere cadentes.

cf. III, 5. Ovid. Fast. V, 35 sqq. *involvens* probatione non indiget. In ed. priori sic Scal. hos versus refinxerat:

Turmaeque iscontis

Pallenas, victo tum pax est reddita mundo.

v. 68) Levia sunt, quae in hoc vs. Codd. peccant, ac longe gravius vulnus in iis residet, quae specie sanissima sunt. Nam quae haec *Liberi* mentio est? Tantane huius virtus, ut prae reliquis unus esset nominandus? is, qui *choreis aptior et iocis? qui pacis erat mediusque belli?* Herculem haec quidem laus deceat, ut recte Silius XVII, 650.

Aut quum Phlegraeis confecta mole Gigantum

Incessit campis tangens Tiryntius astra.

Concederem etiam Baccho, si eius nunc ipsius nomen celebrandum esset. Neque tunc primum in astra venit; sed post multos labores:

Nec in astra lenta veniet, ut Bacchus, via;

ut ait Senec. Hero. fur. 67. et Valer. Flacc. I, 566.

Sic ecce meus, sic orbe peracta

Liber et expertus terras removit Apollo.

Quid ergo? sineque tunc primum, neque gloriabundus? Discerptus, inquit, in bello fuerat, nunc rite membris a Cerere resarcinatis, celsus incedit. Nihil dicam, quod a Titanibus hoc passus esse memoretur, neque quod in triumpho haec fragilitatis

divinae significatio subabsurda sit; ne illud quidem urgeo, quod in verbis poetæ hoc nemo invenit, qui vel in summo brevitatis studio non tamen id ipsum omisisset, in quo summa totius rei esset posita; illud tantum, ut diligenter Lucilium perlegas, te adhortabor. Nam quam tamen poetarum mendacia essent propter ornatum afferenda, omnem rem gestam ad granditatem composuit. Bis intonuit Iuppiter, et iacet hostis impius. Finita bella sunt. *Tum pax est reddita mundi; tum* — Liber resarcinatus est, a coelo depulsus! Quid est ineptire, nisi hoc est? et vide modo, quae sequuntur:

Defensiq; decus mundi nunc redditur astris.

Ipsa oratio magis discerpta est, quam unquam Bacchus fuit. Iam autem, quam bene omnia procedant, considera, si quod ipsum Lucil. scripsisse contendo, ei reddas:

Tum pax est reddita mundo,

Thuribulum et celsi venit per sidera coeli,

Defensiq; decus mundi nunc redditur astris.

Tunc pax rediit; tunc ara in perpetuam victoriae memoriam sideribus inserta est. Quod (sacrarium) ut ait Schol. ad German. Arat. v. 390. *memoriae non solum astris illatum, sed (add. ut) etiam hominibus hoc haberet (l. valeret) institutum; quia in agonibus et ludis quinquennialibus coronae (l. sacraria) habentur, et foederis testes adhibentur, itemque vates, per quos futura respondentur etc. add. Schol. Arati. Atque hic rursus Manil. l. l. compara:*

tunc Iuppiter arae

Sidera constituit, quae nunc quoque maxima fulget.

et German. Arat. 390.

Thuribulum vicinum Austris sacro igne videbis.

Noli autem putare hanc arae mentionem, quum Maniliae apte conveniat de astris docenti, alienam esse ab hoc loco. Est enim hoc sidus pacis et fidei perpetuum monumentum, ut Schol. Arati docet, quod hic memorasse vel maxime quum omnem poetam, tum Lucilium decebat, veluti si quis nostrum arcum coelestem post diluvia in coelo ductum esse adiiciat. Eandemque aram infra tangit v. 245.

Quo respiciant nautae, quo sidera lintea pendant.

ubi vide, quae notamus; eandem porro inter dignissima cognita sidera refert Manil. V, initio. Neque te verba morentur: *venit per sidera*, compara ad hunc praepos. per usum Tibull. IV, 1, 175. ibique Huschk. Lucret. V, 1385, Ovid. Fast. I, 15. Prop. II, 1, 2. V, [IV] 8, [9] 25. 13, [14] 5. Virg. Aen. I, 375. 504. 707. II, 173. Manil. I, 333. II, 922 sqq. V, 36 sq. nemini tamen hic usus familiarior, quam Valer. Flacc.

v. 69) Scribe: *tunc redditur*. SCAL. Atque hoc habet Cod. 3. ex mea autem prioris versus correctione patet reiiciendam lectionem esse.

v. 71) *qui* pondere H. et 3. habent; *quoque* Cod. 2. quod verum esse putavi, *qui* ex compendio q̄ factum esse iudicans. Sensus est: *Etsi tam gravi pondere oneratur, tamen etc.*

v. 72) *Petulans* Codd. omnes et edd. antiquae legunt, recte. *petulans* ἰταμός, προπητής, αὐθάδης, ὑβριστής. Veteres glossae ap. Wakef. ad Lucr. VI, 110.

Interdum percissa furit petulantibus Euris.

patulas recentiores correxerunt, ut fauces ornarentur scilicet. neque tamen hunc ornatum quaesivere Ovid. Pont. II, 10, 23.

Vidimus Aetnaea coelum splendescere flamma,

Suppositus monti quam vomit ore Gigas.

Claudian. Epigr. de Piis:

Enceladi fauces obriguisse reor.

Valer. Flacc. II, 25.

Hunc profugum et sacras revomentem pectore flammam,

Ut memorant, prensum ipse comis Neptunus in altum.

Abstulit, implicuitque vadis, totiesque cruenta

Mole resurgentem torquentemque anguibus undas,

Sicanium dedit usque fretum, cumque urbibus Aetnam

Intulit ora premens.

v. 74) *Hanc auget*. Locus depravatissimus, qui ita sine dubio legendus est:

Hinc auget nobile carmen

Plurima pars scenae, verum et fallacia vates

Sub terris nigros viderunt crimina manes.

Sic supra idem error, *carmen pro crimine*. SCAL. *Hanc argent*, quod pleraeque edd. antt. habent, videtur a Domit. Calderino venissé. Codd. omnes *hinc audit*; sed viam erroris aperit Cod. 2., qui habet: *hanc audit*, in voce *hinc* aberrans. — v. 75) In rebus minutis Codd. a recepta lectione aberrant. Ceterum vides et hoc versu et aliis, Lucilium parum curare illam a Bentl. ad Lucan. I, 231. demonstratam elegantiam. Infra huius observationis usus erit. — v. 76) *carmina* omnes Codd.; tamen *carmina* edd. antt. quod item, ni fallor, Dom. Cald. inventum est; tunc enim solet explicationem addere, quod hic facit, si quid novavit. Similiter locutus est Tibull. I, 4, 63.

*Carmine purpurea est Nisi coma, carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset obur.*

v. 77) Nihil de hoc versu monerem, sed interpretes in re nota haerere video. *Inter cineres* nihil est aliud, quam *inter umbras*; sic Virg. Aen. IV, 34.

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Epic. Maecen. 21.

Ipsa ego quidquid ero cineres interquo favillas.

et clarius Senec. Oed. 582.

Subito dehiscit terra et immenso sinu

Laxata patuit. ipse pallentes deos

Vidi inter umbras.

et Lucan. I, 454. de Druidis:

Vobis auctoribus umbrae

Non tacitas Erebi sedes, Diisque profundi

Pallida regna petunt.

Et omnino hae voces ad sepulturam pertinentes miro modo miscentur. Sic: *nigras arenas* pro inferis posuit Prop. V, [IV] 6, 83. *umbras* pro tumulo Senec. Med. 619. *ossa* pro manibus Prop. I, 20, [19] 20. et alibi it. *funera* Prop. V, [IV] 11, 3. *rogum* pro Orco ibid. v. 8. ubi cf. Lachm. *sepulcrum* pro Orco Lucan. III, 10. ubi cf. Bentl. *bustum* pro manibus Stat. Theb. III, 144. ut XII, 247. *busta* pro cadaveribus. it. *nudos manes* pro insepultis corporibus Stat. Theb. VIII, 73. *manes* pro cinere Stat. Theb. III, 168. *Manes* de Furiis Virg. Aen. X, 39. *fata* pro Orco

Horat. Carm. I, 24, 17. denique *Chaos* pro inferis Valer. Flacc. I, 831, ubi cf. Burm.

v. 78) Et hic quoque locus pessime affectus. Lege:

*Sub terris nigros viderunt crimina Manos,
Atque inter cineres Ditis pallentia regna
Mentiti, navas Stygias, undasque canosque.*

Stygias canes, Eumenides, Aeschylus et quidam (nam nomen non memini) Latinus Poëta. SCAL. *vates* cum Scal. non muto. Male autem Gorall. et Wernsd. canes de Cerbero dici putant; eum meliora Scal. docuisset. Poeta autem ille Latinus, cuius vel nomen prae odio meminisse non vult propter lites de Lucani erroribus in astrorum ratione, cf. Scal. ad Manil. initio, Cordabensis est iam supra exagitatus, VI, 731.

*Non agitis saevis Exeibi per inano flagellis
Infelicem animam? Iam vos ego nomino vero
Eliciam; Stygiasque canes in luce superna
Destituam.*

v. 79) Lego *fusum* non autem *foedum* SCAL.

v. 80) Lego: *te siccum*. Immo propius accedit *curvum*, hoc est pronum ad bibendum. SCAL. Versus in H. omissus in fine pag. minutis literis sic scribitur:

Sollicitant illi te circum tantale pēna quocum facit 3. *poena* tamen exhibens. ex Cod. 2. vulgata est *magna* — *poena*, quam vitiosam esse Scal. acute perspexit, sed vitium non sustulit in torpidis illis: *magna poena latens*. Ant. de Rooy *macrum* — *potis*. Friesem. *in aqua* — *potis*. Wernsd. autem ad exemplam Tibull. I, 3, 77. quod Gorall. praebat:

*Tantalus est illis, et circum stagna, sed acrem
Iamiam poturi deserit unda sitim.*

refinxit:

*Sollicitant stagno te circum, Tantale, pleno,
Sollicitantque siti.*

Quod quum speciosum sit, non veram est. Primum enim per *novem* ibi iugera porrectus Tityos docet, non Tibullum Lucil. obversatum esse, cuius praeterea omnis similitudo ad unum verbum *circum* utrique commune redit. deinde vocis *sollicitandae* reper-

titio demonstrat, non unam aquam in poenis hic numeratam esse, quod alii saepe faciunt. in quo non vereor, ne illa mihi superiora: *Provocat* — *Provocat* opponantur, quum, quid intersit, per se pateat. Iam ut correctio mea tam omnibus vera videatur, quam mihi visa est, exopto. Scribo enim:

*Sollicitant malo te circum, Tantale, poeno
Sollicitantque siti,*

Vides enim Codd. fluctuare. inter *magna* et *illi*, cuius ipsum medium *malo* est, unde in diversa abierunt. e *poeno* autem quid est verisimilius, quam fingi *poena*? auctorem ipsum Homerum habet Od. λ. 588.

Δένδρα ὑψιπέτητα κατακρηθεῖν χέει καρπόν,
Ὅγγνοι καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι.

v. 81) *Siti*. Nihil clarius hac lectione. Tamen nuper mutarunt in *sollicitantque Scinim*. Quod, malum, nos tantum immutandi cacoëthes habet, ut quae scimus nescire velimus? Sane si mutandum aliquid fuerat, potius legerem:

Sollicitantque sitos.

Nam *siti* sunt mortui, ut testatur Cic. de Legg. et Gellius. Unde *siticinos* qui canebant ad sitos, hoc est *τυμβαῦλαι*. Sed nihil mutandum censeo. Quod *Scinim* legerint, puto eis in causa fuisse veteres editiones, *sollicitantque sirim*, sed illud M referendum ad sequens. Itaque facile divinare fuit, legendum esse *siti*. SCAL. Ascencius ait Despauterium in versificatoria sua docuisse *Scinim* legendum ex lectione librorum corrupta *scirim* Cod. 2. *sirit*. Cod. 3. omnibus apicibus *siti* scribit.

v. 83) *Recepi* lectionem Cod. 3. et H. Quamquam vulgata:

Quidquid et interius falsi sibi conscia terra est.

quae in Cod. 2. habetur, per se optima est. *consciae* enim *res* vulgo dicuntur. e quibus proxime ad nostrum accedit Propert. III, 4, [II, 13] 26.

Non nihil ad verum conscia terra sapit.

Sed vereor, ut ex difficiliore lectione Codd. H. et 3. haec mutatio fluxerit. Interpretor autem *falsi consortia* ut sint consortia non consortia seu copulationes naturarum disparium a poetis inventae, quas describit Lucret. IV, 736.

*Centaurus itaque et Scyllarum membra videmus,
 Quorum morte obita tellus amplectitur ossa;
 Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
 Partim sponte sua quae fiunt aëre in ipso,
 Partim quae variis ab rebus cunctaque recedunt,
 Et quae consistunt ex horum facta figuris.*

et III, 332.

*Implexis ita principiis ab origine prima
 Inter se, fiant conserti praedita vita.*

et v. 770.

*Quove modo poterit pariter cum corpore quoque
 Confirmata, caput aetatis tangeret florem
 Vis animae, nisi erit consbra ab origine prima?*

Unde apparet monstruosos illos esse partus intelligendus, quos apud Virg. Aeneas VI, 286. reformidat, aut etiam Titanum infimos carceres. In una voce *interius* haereas, vel *inferius*, quod vult Friesem. vel *alterius* praefereas. Utrumque enim in hac re usurpatum est. Ovid. Pont. IV, 14, 11.

*Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur Istro,
 Si quid et inferius, quam Stygia mundus habet.*

Claudian. Rufin, II, 523.

Agitato flagellis

*Trans Stygia, trans Erebum vacuo mandato barathro
 Infra Titanum tenebras, infraque recessus
 Tartareos.*

cf. Stat. Theb. VIII, 16. Contra alterius Senec. Herc. fur. 1222.

Et inferorum carcer et sonti plaga

Decreta turbas; et si quod exilium patet

Uterius Erebo, Cerbero ignitam et mihi.

cf. Euid. Herc. Oct. 742 et 1263. Phoen. 144. *Interius* quidem Stat. usurpavit, sed non ut nostro loco prodesse possit Silv. II, 1, 186.

Quia ipso avidae trux navita cymbas

Interius steriles ripas et adusta subibit

Litora.

Neque magis huc refero Manil. I, 25 et 31. et Stat. Theb. X, 104. alia.

v. 84) Codd. ~~erres~~ facile ad novandum invitare possint;
sed vulgata vera est. Senec. Herc. fur. 605.

Atque in labores non satis terrae patent.

v. 85) Sensus illustris est, verba subobscura. *admittere* absolute, ut saepe, pro *facinus admittere* positum esse, atque hinc *alienum* coelum explicari debet. nam praeterea qui *alienum* homini dici possit a Senecae discipulo? N. Q. I. Praef. *Sursum ingentia spatia sunt, ista quorum possessionem admittitur animus.* Apertius rem eloquitur Auson. Epigr. XI, 1.

*Vana, quid affectas faciem mihi ponere, pictor,
Ignotamque oculis sollicitare deam?*

Frustra tamen nostri similem locum quaeras; contra nos omnes, sicuti Senec. locus supra allatus, alio dirigunt; velut Claudian. Idyll. Apon. 33.

Consuluit natura sibi, ne mersa lateret,

Admisitque oculos, quo vatat ire calor.

Id. Nupt. Honor. 250.

Nec tenaris audet faliis admittere soles.

R. Pr. II, 114.

(Haud procul inde lacus) admittit in altum

Cernentes oculos et late pervius humor

Ducit inoffensos liquido sub gurgite visus.

Stat. Achill. I, 593.

Lucus Agenorei sublimis ad Orgia Bacchi

Stabat et admissum coelo nemos.

Lucan. II, 353.

Iura placent, sacraque deos admittere testes.

Atqui *immittere* proprie de vetito valet. Lucan. V, 123.

Iustus sadox laxare verendas

Antistas, pavidumque Deis immittere patem.

VI, 410.

Impius hinc prolem Superis immisit Atoens.

VII, 508.

Sparsa per extremas levis armatura manipulis

Insequitur, saevasque manus immisit in hostem.

Virg. Aen. X, 39.

*Nunc etiam Manes, haec intentata manebat
Sors rerum, movet et superis immissa repente
Alecto medias Italum bacchata per urbis.*

Manil. V, 532.

Vorticibus mediis oculos immittit avaros.

Quod verbum quin Lucil. reddendum sit, nemo iam dubitabit.

v. 86) Simile de mulieribus apud Theocritum:

Ἰλινα γυναικας ἰσχυρι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἴφραν.

Porro legendum, *Iupiter in Danaen*, non *Iuppiter ut Danaas*. Nam venustissimum est ἀσύνδετον illud. SCAL. ut *Danaos* Codd. omnes habent, in Danaen videtur ab Absensio esse. cf. Auson. Epigr. CXVIII, 15 sqq.

v. 90) Nimirum deferbuit gravis ira! Et recte Lucan. IX, 359.

Invidus, annoso famam qui derogat aevo,

Qui vates ad vera vocat.

Quare noli Ant. de Rooy obtemperare *Didita* carminibus suadenti.

v. 94) Veteres Edd. *curvis agitatur ab undis*. Quae vera est lectio. Crediderunt multi veterum terram in medio Oceano *σαλεύεσθαι* ac circumiecto humore portari, velut aliquod grande navigium et grave. Cuius opinionis auctorem faciunt Thaletem. Extremi autem maris, id est, *ὄριζοντος*. Nam *ὠκεανόν* vocabant *ὄριζοντα*. Quae quum ita sint, satis patet *τὸ incingitur* ab ignaro homine et imperito suppositum fuisse, quia causam alterius lectionis ignorabat. SCAL. *Agitatur* in Cod. 2. est, unde in edd. venit. *hic igitur* H. *hic agitatur* 3. Unde certissima, *incingitur*, correctio erat, non reiicienda. Nam dudum explosa erat Thaletis sententia novissime a magistro Lucil. Senec. N. Q. VI, 6. cui cf. Manil. I, 165 sqq. Vere autem de oceano *mare* Scal. accepit, ut Senec. N. Q. VI, 6. *sive illud oceanum vocas, sive magnum mare sive etc.* et Lucr. I, 999.

Terra nigra et contra mare terras terminat omnes.

Ovid. Heneid. X, 61.

Omne latus terrae cingit mare.

Sen. Hippolyt.

Qua terra salo

Cingitur alto.

quocum conspirat Avien. Descr. orbis V, 11. a Wernsd. allatus:

Oceani nam terra salo praecingitur omnis.

utrumque nomen coniunxit Catull. Nupt. Pel. 30.

Oceanusque mari totum qui amplectitur orbem.

Tibull. IV, 1, 53.

Qua maris extremis tellus excluditur undis.

ubi cf. Huschk.

v. 95) Dedi vulgatam, a qua varie Codd. aberrant; retinui tamen e codd.: *Non totum et solidum*; aegre enim illo et explicativo caremus, ut tamen non minus necessarium est videatur, quod, si me audis, post *solidum* inseres. Optime illustrat locum Senec. N. Q. V, 14. *Non tota solido contextu terra in unum usque fundatur, sed multis partibus cava et*

caecis suspensa latebris

alicubi inania habet sine humore.

v. 97) Seneca ex Aristotele: *Corpus nostrum et sanguine irrigatur et spiritu, qui per sua itinera percurrit. Habemus autem quaedam angustiora animae receptacula, per quae nihil amplius quam meat, quaedam patentiora in quibus colligitur et unde dividitur in partes [fort. artus. I.]. Sic hoc totum terrarum omnium corpus et aquis, quae vicem sanguinis tenent, et ventis, quod nihil aliud quis quam animam vocaverit, pervium est. Tertius ab his versus ita legendus:*

Ad vitam sanguis omnis qua commeal idem.

SCAL. Cod. H. et 3. ex perpetuo errore inque pro utque scribunt, dum 2. in simile vitium delabitur: *agiturque.*

v. 98) Procurrunt docta manus ad exemplar Santenii ap. Wernsd. appinxerat. egregie. sed nihil muto; Lucr. VI, 668.

Perque mare et terras rapidus percurren turba.

v. 99) Scal. correctionem ad vs. 97. propositam et Gorall. et Wernsd. sequuntur *que* post *sanguis* omissentes, assentiente H. et 3.; satis vitiose; quod bene cod. 2. retinuit. praeterea pro *idem* praecurrentibus Gorall. et Arn. Schmid, *isdem* Wernsd. dedit, ut ad vs. sequentem pertineat. Male. postquam enim Goralli temeritas foraminibus non monito lectore textui ingessit, videbatur sic aliquo modo coire oratio. Sed voraginibus terram dicit Luci-

lius auras concipere, conceptasque tanquam venis digerere foraminibus; cf. quem ad vs. 97. attulit Scal. Senecam VI, 14. *quaedam patientiora, quibus colligitur etc.* Unde vides, neque posse hanc vocem abiici, neque ea retenta transitum parari per *isdem*. Neque tamen nescio, vitiosum hunc locum esse. Nam quae haec oratio est? *Omnis idem sanguis comreat!* Num *omni* sanguini ad vitam eundam est? et *idemus* quaecunque pervenit, quia venis diducitur? Utramque vocem inanem esse patet. In *omnis* autem res facilis est; quando enim ad sanguinem non pertinet, apparet esse casum quartum in num. plur., quem vulgo *omnes* proferimus; unde simul patet, latere in *idem* nomen huc referendum. His monitis sic versum rescribimus:

Ad vitam sanguis qua omnis circum moat artus.

Qua pro que, circum pro quacum lenis mutatio est; *sin artus* durior scriptio videbitur; scimus haud raro, quae non verisimilia videantur, esse tamen vera. Saepissime autem hoc pronomen pro alijs quibusque vocibus ingeri, infra videbimus ad vs. 356. Exempla verbi *artus* ex ingenti numero pauca sufficiant ex Lucret. electa: II, 682.

Nidor enim penetrat, qua succus non it in artus.

III, 397.

Et magis est animus vital claustra coërcens

Et dominantior ad vitam, quamvis animat

Non sine mento animoque nequit residere per artus.

cf. v. 532. et. 585.

Manantque per artus,

Perque viarum omnes flexus, in corpore qui sunt,

Perque foramina. Multimodis ut noscere possis,

Dispartitam animae naturam exisse per artus.

v. 702.

Dispartitur enim per caulas corporis omnes,

Ut cibus in membra atque artus quum diditur omnes.

adde v. 948. IV, 865. 631. VI, 945. Ceterum praeter reliquas turbas in VV. LL. propositas Cod. H. inter utrumque versum ex utroque conflatum interponit: *Terra voraginibus, omnis qua comreat idem.*

v. 101) Quia interpretes verborum ordinem non perspexerunt (quod in Wernsd. male *haud olim* scribente eo magis mireris, quia ex Arn. Schanjdii versione meliora discere poterat) qualis sit iunctura, paucis ostendam: *aut olim* i. e. quum terra oritur, haec eius perforata natura creata est; *sive* (v. 109) non est *matrà* haec facies, sed *effecta*. Sin *effecta* est, *sive spiritus* excavavit, *sive aqua*, *aut ignes*, *sive omnes* hae causae simul adfuerunt; quidquid fuit, hoc didicimus, nunc eam crebris venis laxatam esse. Similem structuram apud Lucan. habes II, 5 sqq. ubi vs. 11. *Fatorum immoto divisit limite mandum non mutandum a Benti.* fuisse, noster locus demonstrat; porro eundem Lucan. IX, 303. praecipue tamen Manil. I, 119 — 170. qui diligenter collatus, et quantum illi Lucilius debeat, aperiet, et simul, quomodo interpunctione ipse distinguendus sit, docebit.

v. 103) Non hic poetarum oratione Lucilius uti voluit; nam quicumque de terrae ortu docuerunt, quod plerique omnes faciunt, *subsedis* eam affirmant; non *desedis*. unus, quem volunt esse, me renuente, Tibull. IV, 1, 18. cum nostro concinit:

Alter dicat opus magni mirabile mundi;

Qualis in immenso desederit aëre tellus.

Lucilius quidem cum Seneca facere maluit, quam cum poetis. N. Q. III, 27. *et in imum usque receptis aquis fundamenta desidunt.* et VI, Praef. *Pompeios desedis* terrae motu *audivimus.*

v. 104) *rimosa*. Aristoteli *σφαγγώδης, ὑπαντρος, σμφός, σπογγώδης*. *Acervi* fiebant in quadriuis et triviis, ad Hermulas quas vocabant, hoc est, Mercurii statuas quadratas; iactis ex tempore lapidibus a praetereuntibus, qui acervi Mercurio sacri erant, a quo dicti *ἔρμακες* Graecis. Isidorus in Glossis, quae sunt adhuc in membranis. eas *Hermacas* nunc hic intelligit, de quibus et Sibylla:

Καὶ πετέινα σέβασθε καὶ ἔρπετὰ θηρία γαλῆς

Κὰν παρόδοισι λίθων συγγώματα ταῦτα σέβασθε.

Similes etiam monticelli ex lapide congesto, qui pro terminis erigebantur, ab auctoribus de agris limitandis vocantur *Scorpiones*, quia in metam desinebant. *Σκορπίος* enim Graecis dicitur etiam quidquid in metam ac conum fastigiatum est, ut tutulus crinium

in pueris ita vocabatur. Quemadmodum igitur acervi, qui fiunt iactis ex tempore saxi toti pendent in se, quia intus cavi sunt, ut opus fornicatum: sic etiam ipsa terra cava est, et in tholum suum nititur. SCAL. *Tortis Davisius legit ad Cic. N. D. II, 42. ex Cod. Eliensi. cf. vs. 106.*

v. 106) Est mendum in genere, non enim ἡ κόρυμβος dicitur. Columella de Cinara Carquo:

Haec modo purpureo surgit glomerata corymbo.

Est autem corymbus, quidquid in paucam aut strobilum adsurgit, ut in Cinara videmus et in Scolymó. Sed prima notio τοῦ κορύμβου est in capite veterum Atticorum tutulus, seu meta suggestus capillorum. Igitur legendum puto:

Ut crebro introrsus spatique vacante corymbus

Pendeat in sese.

Crebrum spatium τὸ σπῆραγγῶδες, ut *crebrum cribrum* apud Plantum, πολύοπον. Ad eum modum *crebro vimine* infra dicitur. *Vacans* enim *spatium* dicitur τὸ κούλον etiam infra, quod et *cessans* quoque vocavit. Illud vero *pendeat in sese* est, suo sibi pondere libretur, ut fornix, in fornicem suam nitatur. SCAL. Quid Codd. peccent, in summa rerum nihil auxilii afferentes, vide in VV. LL. De Scal. interpretatione audi, quid Gronov. iudicet in Obs. III, 16. pag. 360 sq. ed. Lips. qui *corymbas* legendum esse suspicatur; quod verbum ut Latinis tradi possit, non coniectura mihi posse effici videbatur. Gorallus ineptit, ut vides apud Wernsd. qui ut generi succurreret, pro Scal. *spatique vacante*, proposuit: *spatio vacante* vel *variante*. quae mutatio, ut multo propior et facilior, haud dubie neque Scal. latuit; sed quia talem versum iure diffidebat a Lucil. profectum esse, maluit reponere, quod illo non esset indignum, si minus vera eius scriptura. Quare quum *vacuata corymbus* everti non possit, eoque ipso suam integritatem prae se ferat; alia ego via ingressus sum. Apodosi enim mutata, quam omnes ante: *simili quoque* statuunt, *vacuata, corymbus* ad terrae descriptionem addidi, sicuti in textu distinctam orationem vides. Quod lenissima correctione effeci, dum pro: *et qualis acervus v. 104. Ut qualis, contra pro ut crebro v. 107. Sic crebro rescribo. Has autem particulas misceri, abunde scimus.*

hic quia prius *ut in et transierat*, sic *in et videtur mutatum*, ut *pendeat in sese* haberet, unde *ipsam penderet*. Sensus autem expeditissimus est. Atque hac demum interpunctione loci patet, *totis v. 104.* pro quo vir doctus in exemplari Santenii coniecerat *tortis*, non debere mutari; excipitur enim post parenthesis, ut solent, synonymo suo: *non omnis in arcum nec stipata coit.* Pro Codd. vel *Exeat* vel *Exiit v. 105.* tanquam felicissimam coniecturam, edd. lectionem retinui: *Exsilit*; Maniliam enim, ut supra monuimus, sequitur, v. 165.

*Emersere frētis montes, orbisque per undas
Exsiliit, vasto clausus tamen undique ponto.*

v. 110) *Non nata est facies.* Id est, non recens est, vel infinita est. An legendum: *nec nota est facies?* hoc est, latet nos, propter vetustatem. SCAL. Sed ex Codd. H. et 3. restitui pro *seu*, quod ex Cod. 2. in Edd. pervenit. Sic habet oratio, ubi requiescat aliquantum. in *seu* abiit propter eiusdem partic. repetitionem, plane ut Cod. 3. versu sq. *peccans sed lymphæ pro seu* scribit. Sensus versuum supra indicavi ad v. 101.

v. 112) Atqui non eduntur ea, quae oblimat flumen, aut aqua, sed potius obducuntur, unde ius adluvionum. Sed legendum *lima*, quod genus metaphoræ honestum est. Quid? Non ab eadem mente *Tiberis Serra* et *Rumon* dictus est? Eadem mens et in loco Horatiano, qui ita legitur in peroptimo codice:

quæ Liris quieta

Mordet aqua, taciturnus amnis.

Nam *mordere* aptum verbum huic nostro loco. SCAL. Quae coniectura omnium interpretum assensum tulit. Nic. Heins. Advers. p. 208. praeterea, ut solet aliam alia inventio parere, *radit humum lima* legi mavult. Omnes timebant, ne illud Ovidianum accideret, Pont. IV, 2, 17.

Scilicet ut limus venas excaecat in undis,

Laesaque suppresso fonte resistit aqua,

Pectora sic mea sunt limo vitata malorum

Et carmen vena pauperiore fluit.

quum potius illud apud Lucret. V, 256. doceamur:

*Pars etiam globarum ad diluviem revocata
Imbribus et ripas radentia flumina rodunt.*

Et retine modo vocem molestam. Nam quis hoc naturae sapientiae tribuat, ut quae furim saxa molliat, rem durissimam, ea ferro et igni ignavam humum aggrediatur? Sed limo demum facto humum aqua penetrare potest. Et saepissime hic casus, cui propter perspicuitatem vel praepos. vel partícip. adiungimus, interpretes torsit, quum in aliis locis per se impeditioribus in sermone Latino facile patiamur, velut apud Ovid. Met. I, 19.

*Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

neque semel Scal. fucum fecit, sicut apud Prop. III, 29, [II, 33] 21. At tu, quae nostro nimium implacata dolore es; ubi ablat. recte a Nic. Heins. et Lachm. restitutus est, a Scal. in dat. fictus. Prop. III, 20, [II, 26] 29. Iam deus amplexu votum persolvit, et illi Aurea divinas urna profudit aquas. i. e. post amplexum. Prop. I, 21, [20] 47. Prolapsum leviter facili traxere liquore. Prop. III, 2, [II, 12] 6. Fecit et humano corde volare deum, quod Huschk. explicuit. IV, 18, [III, 19] 82. Tondens purpurea regna paterna coma; qui locus nostri simillimus est; pariter ut I, 4, 23. Nullas illa suis contemnit fletibus aras; et Lucan. VI, 404. Fudit et argentum. flammis aurumque moneta. vel Rutil. Itin. II, 53. Odimus Altheam consumti funere torris, quem eundem male tentarunt I, 76. Factus et Alcides nobilitate deus. Sensus: Hinc factus nobilis, deus est, sicut Romulus apud Liv. I, 15. et rursus Prop. IV, [III] 20, 5. Quam multae ante meis cedent sermonibus horae. Quod noli tertio casu dictum putare. Quod si esset, contrarius sensus efficeretur, quasi tempus sermone falleret, quum tamen multae horae inter eius sermones effugiant, dum pacta et foedera ponit. Grat. Cyneg. 75.

*Sunt, quibus immundo decerptae vulture plumae
Instrumentum operis fuerit.*

eundem Grat. 49.

*Quam commoda nostro
Armamenta operi; gravis est tutela, sed illis
Tu licet Haemonios includas sentibus ursos.*

recte iam Vlitius (quem ipsum odium Barthii quominus omnem veritatem aperiret, impediit) defendit a Turnebi correctione Advers. XXIV, 26. qui tamen ibidem Virg. Aen. IV, 2, 44. *Dat somnos adimitque et lumina morte resignat* contra Servii perversitatem tuitus est; non bene relictus ab aliis interpretibus; est enim: *post mortem aperit*; in eo tantum vitiosus Turnebus est, quod de oculis *in rogo* apertis explicat, quod negotium ad Mercurium non pertinet. Post mortem est apud inferos, seu *manibus* cf. quae notamus ad vs. 77. Neque melius interpretatio cessit Virg. Aen. I, 658.

*Ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat donisque furentem
Incendat reginam.*

Ubi noli vel *donis furere* reginam vel *incendi donis*, tanquam aliquam meretriculam. Cupido, dum sub Ascanii specie *dona affert*, reginam incendit. Vel, si hoc quoque ambiguum videbitur, *casu* fit, quod *dona* allaturus Ascanii formam Cupido subit, sed suo adventu illam formam indutus reginam incendit. Sic Virg. Aen. VII, 545. *En perfecta tibi bello discordia tristi*; ubi complures Pier. *belli* — *tristis* errore ablativi. Nolim etiam putasse *cum fletu* rectius dici, quam *fletu* Huschk. ad Tibull. I, 2, 75.

*Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, quum fletu nox vigilanda venit?*

Denique ipse Lucil. non semel ita locutus est. velut v. 118. *torrentem* imo *se mergere* hiatus; i. e. postquam excavavit terram. et v. 361. *atra subvectat arena*: postquam ignis lapides in cinerem et arenas resolvit. Sed missis his ambagibus, quid tandem lucrati sumus, si tam strenue *limum* exantlaverimus? Nimirum *limum*; nam si *lima* aquae humum peredit, quid fit? *limus*.

Ibid.) τὸ *mollire* verbum ad eam rem accommodatissimum, id est, τὸ *κοιλῆσαι*. Attius Telepho:

*remisque nixi properiter navem in fugam
Trudant subter saxa ad laevam, qua montem mollibat mare.*

Mollire ergo *saxum*, *cavare*, ut: *Gutta cavat lapidem*. Varro: *Pieridum comes, qua tenes cavata putri gelu montium saxa*. Intelligit, ut puto, τὴν ἡχώ. SCAL.

v. 113) *Exedere* quidem verbum aptum huic rei; sed veteres Editiones: *Solidum videre* vapores, lego *invidere*, hoc est, per vapores stat, quominus perpetua solida sit terra. Sic Attius:

Quis florem liberam invidit melum

Virgilius:

*Tene, inquit, miserande puer, quum laeta veniret,
Invidit Fortuna mihi?*

An vero legendum, *minuere*? SCAL. *Videre* omnes Codd. habent. *Exedere* a quo inventum sit nescio; hoc scio, bene a Scal. reici, quum superiore versu ipso *Edit* habuerimus. Neque tamen vox *invidendi* ipsi Scal., nec mihi placere potuit. Recepti *vicere*, quod ab Abbate Sevino Wernsd. probatum ait. fortasse *rupere* vaporibus *inclusis* melius convenire videbitur.

v. 115) Ovid. Fast. IV, 681.

*Cur igitur missae vinctis ardentia taedis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi.*

Albinov. de morte Drusi 238.

Auctor abit operis, sed tamen existat opas.

Manil. I, 145.

*Semper erit genus in pugna, dubiumque manebit,
Quod latet et tantum supra est hominumque deumque.*

v. 116) *Quis enim non viderit illud* omiserunt Cod. H. et 3. habet Cod. 2. Contra Pith. cum recentioribus edd.: *Quis enim non credat inanes*; aut utraque aut haec altera lectio a correctoribus inventa est, ut lacuna demeretur. Malui Cod. 2. sequi, quum non *ex inani* tanti fontes emergant.

v. 117) *Καταβολή* totius disputationis, terram *ὑπαντρον* esse. Hoc probari ex aquis, quae undecunque ex ea erumpunt. Non enim non cavam esse, ex cuius sinu tanta vis aquarum tam diversis locis exprimitur. Seneca; *Non quidem existimo te diu haesitaturum, an credas subterraneos amnes et mare absconditum. Unde enim ista prorumpunt? Unde ad nos veniunt, nisi quod humoris origo inclusa est. Lege quae sequuntur* Lib. VI. Naturalium Quaestionum cap. 8. SCAL. *Erumpere* non monito lectore temere Gorall. contra omnium Codd. et edd. auctoritatem pro emer-

gers scripsit. Sic *Arethusa emergit* apud Senec. N. Q. III, 26. Tigris VI, 8. add. Manil. V, 198.

v. 118) *Emergere* vulgo. at non *emergunt* torrentes, sed de alto ruentes *immergunt* et imo hiatu terram cavant. itaque hic Gorall. corrigendum erat. Et omnes edd. antiquiores cum Codd. omnibus *mergere* recte exhibent. Neque eiusdem vocis repetitione haereas, studiose dico hunc similitudinem literarum lusum quaesitum esse. qui campus late patet. Ita Lucret. V, 600. *Confluit — profluit*. VI, 211. *Compressit — expressa*. Tibull. I, 6, 79. *Conducta — ducta*. 3, 63. *immixta — miscet*. Sic retinendum affirmo apud Prop. IV, 11, 41. [III, 2, 1.] *detinuisse — sustinuisse*. qui numerus facile augeri poterat. Quam haec oratio Lucilio placuerit, docemus ad v. 168 et 379. Ceterum patet, plenam versuum interpretationem hanc esse: Terra cava est; quam ex *interiore* parte *emergentes* fluvii exinaniunt; *extra* torrentes *in eam* viam sibi parant.

v. 119).

*Non ille ex tenui vocemque agat acta necesse est,
Cum fluit, errantes arcessat undique et undas,
Et trahat ex pleno, quod fontem contrahat amne.*

Pessimis modis mulctatus est hic locus, quem nos ita legimus:

*Non ille ex tenui vacuove agat aucta necesse est
Confluvia, et ruptis arcessat ea undique ab undis,
Sed trahat ex pleno, quo fontem contrahat amne.*

Necesse est, inquit, derivet confluvia sua ex non tenui vacuove, et arcessat ea undique ab undis, sed trahat ex pleno amne, hoc est ex reposita aqua, id unde fontem emissura est. Nam etiam veteres excusi habent *ab undis*, SCAL. Acutissimam Scal. correctionem ne singulis in pugnem, pudori meo condonatum iri spero; id unum tangam, quod residere in Lucilio vitium passus est:

Non ille ex tenui etc.

Nam aperte, quaeso, tu hoc mihi responde, quis sit hic *ille*? An torrens? at immergit hic quidem sese, neque est dubium, unde ei auxilia veniant. ab imbre sunt, a tempestatibus. Et finge te dubitare, hoc certe scis, *superno* illum augeri, non ex terrarum

abditis fontibus. Hoc autem hic ipsum agitur. Quod si de torrente intelligi non potest, quo tandem hanc descriptionem refers? Nihil praecedere, quo pertineat, ipse confiteris. Neque magis sequentia patefaciunt. Ergo suam ipse locus explicationem in se continere debbit. Ne multis te morer, *Nili* nomen in ille latebat. Omnis locus ex Senec. N. Q. VI, 8. unde profluxit, illustrabitur, quem quia longior est, carptim affero: *Non quidem existimo diu te haesitaturum, an credas esse subterraneos amnes et mare absconditum (Quis enim non viderit illud Esse sinus.) Unde enim ista erumpunt — (tantos emergere fontes) Age quum vides interruptum Tigrim — (Flumina quin etiam etc. v. 122.) Nescis autem, inter opiniones, quibus narratur Nili aestiva inundatio, et hanc esse, a terra illum erumpere, et augeri non supernis aquis sed ex intimo redditis? Ego quidem centuriones duos, quos Nero Caesar — ad investigandum Nili caput miserat, audivi — Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat. Sed sive caput illa, sive accessio est Nili — nonne tu credis illam, quidquid est, ex magno terrarum lacu ascendere? — habeant enim oportet pluribus locis sparsum humorem et in imo coactum, ut eructare tanto impetu possint. Hoc ergo celebratissimum exemplum, quo omnes poetae sua carmina illustrare voluerunt, nostrumne putabis pressisse silentio? cuius aevo nova fontium inventio percrebuerat? (quamquam vide, quid de illo centurionum commento iudicet Bruce Itin. ad fontes Nil. vers. germ. III, p. 612.) qui, quod maximum est, illo exemplo in hac argumentorum serie carere non potuit? Nam rerum series haec est: Cava terra est; emergunt, immergunt flumina; alia summo impetu derepente plurimas aquas eructant, veluti Nilus, alia post continuum cursum occidunt, alia post redeunt; exsurgunt denique, quae ante nunquam fuerunt. quod cum tristi nostrae Germaniae clade nunc ipsi experti sumus. Sed nondum omnia effecimus. Caput totius rei in verbo: *Confluvia* continetur. Apparet in antiquo Cod. *Conflua* scriptum fuisse; hinc Helmst. haerere vides inter *Confluvia* et *Cum flumina*, alii contra *confluit* scribere maluerunt. Quod si poneremus, *confluvia* ab ipso Lucilio esse, ita locum restitueremus:*

*Non Nili ex tenui vortex agat aucta necesse est
Confluvia; errantes accessus undique et undas
Sed trahat, ex pleno quo fonti contrahat amnem.*

De ultimo versu sufficiat addidisse, cur a Scal. recesserim. *amnem* et *fonte* omnes Codd. habent; quod longe praeferendum erat, quia *amnis* non est aqua reposita, quod esset *lacus*, ut inquit Seneca, sed *fluvius*, qui fonti ex pleno adducitur, non fons amni. ad hanc rationem confirmandam habe Lucan. X, 215 sqq. 247 sqq. 253 sqq. adde de voce *auctus* Plin. H. N. V, 10. *Certis tamen diebus auctu magno per totam spatiatas Aegyptum fecundus innatat terrae — auctus per puteos mensurae nobis deprehenduntur.* ad sententiam cf. Arist. Meteor. p. 767. ed. Du Val. T. II. οὕτω καὶ ἐν τῇ γῆ ἐκ μικρῶν συλλεῖβεσθαι τὸ πρῶτον καὶ εἶναι ὡσπερ πιδουούσης εἰς ἐν τῆς γῆς τὰς ἀρχὰς τῶν ποταμῶν. Verum altera superest via, qua ad Lucilii scripturam accedamus. Nam ut supra ponebamus in *conflua* latere *confluvia*, ita non minus verisimile est, excidisse literam *t*. Sin autem *confluat* leges, sic locum habebis:

*Non Nili ex tenui vortex alit arva; necesse est
Confluat, errantes accessens undique et undas
Attrahat, ex pleno quo fonti contrahat amnem.*

agere et *alere*, *arva* et *acta* perpetuo errore confundi, notum est; reliquam autem lectionem plane, ut in Codd. est, retinemus; nisi *vocemque* mihi nominas, monstrum lectionis omni modo depellendum, et quod attrahat pro ettrahat scribendum fuit et *fonti* pro *fonte*. Atque haec non levis huius scripturae commendatio est; adeo ut mihi quidem unice vera visa sit. Accedit oratio, uti saepissime, proxime ad Lucretium I, 389.

*Is porro, quamvis circum celerantibus ayris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Complere spatium; nam primum quemque necesse est
Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.*

V, 596.

*Nam licet hinc mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem scatere atque erumpere flumen
Ex omni mundo, quo sic alimenta vaporis*

*Undique conveniunt, et sic coniectus eorum
Confluit ex uno capite, hic ut profluit ardor.*

VI, 635.

*Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnibus
Confluit; inde super terras redit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.*

v. 121) Seneca: *Non est diu probandum, ibi multas aquas esse, ubi omnes sunt. Neque enim sufficeret tellus ad tot flamina edenda, nisi ex reposito multoque fundere.* Quam disputationem, ut et alias, ex hoc opere hausit Seneca. SCAL.

v. 122) Aristot. Meteor. I, 13. pag. 769. ὅτι δ' εἰς τοὺς αὐτοὺς φάραγγες καὶ διαστάσεις τῆς γῆς, δηλοῦσιν οἱ καταπιώμενοι τῶν ποταμῶν. cf. Senec. N. Q. III, 26.

v. 124) *Derepta, non dirupta.* Ita infra:

*Praesertim ipsa suo declivia pondere nunquam
Corpora deripiat.*

Seneca tamen dirupta dixit: *alia torrentes exedere, alia aestibus magnis dirupta patuere.* SCAL.

v. 127) *Canales* feminino genere extulit. Sic infra dixit *rigidas canales.* Vide Servium ad illud: *ilignis potare canalibus undam.* Porro totus locus ita legendus:

*Quod si diversas emittit terra canales
Hospitium fluviorum; at semita nulla profecto
Fontibus et rivis constat via, pigraque tellus
Conferta in solidum segni sub pondere cessat.*

Quodsi, inquit, ex certis canalibus, non autem ex pleno ac recondito, ut ait Seneca, emittit fluvios terra; at rivulis et fontibus quae via tandem erit, quum aliquando erumpant, aliquando vero arescant? Ergo nullam habebunt viam ipsi erumpendi, si terra non emittit de pleno, unde consequens, ut conferta et solida, non ὑπαντρος sit. *Hospitium* vero dixit pro *hospitum*, ut in *Pandectis civitatum, hereditatum; eodem modo, alituum; et quod ignoratum hactenus, Sallustius dixit hominium; idque in fideli exemplari, cum adnotatione in margine, quae*

omnem suspicionem mendi tolleret, inveni in Iugurtha: *neque, inquit, quisquam hominum satis placebat.* Eleganter vero *hospites* fluvios vocat, qui subito existunt. Nam ex illa hypothese vult subito existere, si hoc concedatur. SCAL. In explicatione *hospitium* fortasse de Propert. Scal. cogitabat I, 21, [20] 9.

Sive Gigantea spatiahere litoris ora,

Sive ubicunque vago fluminis hospitio.

Non magis quam Scal. Goralli et Wernsd. ratio probari potest. Mutant, ut ille, contra edd. et Codd. fidem, coniunctivos, per omnem hanc orationem continuatos; pro: *aut semita*, quod Codd. habent, *haud* scribentes ante haec verba apodosin incipiunt. Atque Gorallum quidem Wernsd. dimisit, qui ipse sic docet: *Quod si terra diversos canales — habet, fluviis excipiendis aptos; nullis profecto fontibus deesse potest semita — et contra quae pigra tellus et conferta in solidum densa ubique est — cessat fontes emittere, inepta est rivis perducendis.* Etiam hanc explicationem apposuisse sufficiat. Nam nemo hoc exspectabit doceri, minoribus rivis patere vjam, si maximos fluvios emittat? s'n poeta docere voluisset, quid sequeretur? Altera autem pars tota inanis est. Ego apodosin pono a verbis: *pigraque*, ut v. 155.

Nulla daret miranda sui spectacula tellus,

Pigraque et in pondus conferta immobilis esset.

In Codd. nihil mutavi, nisi quod *ni* scribendum fuit pro *si*, atque: *et solido* pro *in solidum*, contra *Conserta*, *segnis* ex Codd. retinui. sensus expeditissimus est. Unam tamen vocem omni modo corrigendam esse censeo. Nam *diversi* canales vix dici possunt, qui alio loco se immergunt, alio emergunt. Repone: *demersos*. Stat. Silv. I, 2, 203.

Nitidae sic transfuga Pisae

Annis in externos longe flammatus amores

Flumina demerso trahit intemerata canali

Donec Sicarios tandem prolatus anhela

Ore bibat fontes.

v. 132) Restitue ex antiquitus excisis:

Condita si redeunt, si qua et iam incondita surgunt.

Argumentum superiori oppositum. *Condita si redeunt*, ut Alpheus Olympiae, Anas Hispaniae. *Si iam et incondita surgunt* de illis intelligendum; qui subito in sua magnitudine existunt, neque unquam absorpti fuerunt. Eiusmodi est mirabilis fluvius in agro Encolismensi, qui exoneratur in Carentonum fluvium, ad oppidum Encolismam. SCAL. *Si qua etiam incondita omnes Codd. habent; edd. multae incognita scribunt, unde a Scal. vera lectio revocata est.* Sensum illustrat Senec. N. Q. III, 11. *aliquando quibus non fuerunt locis, exeunt* (amnes). Ibidem exempla habes. Ut autem *conditum* est, quod in ordinem est redactum, ita *inconditum* illud est, cuius nondum regula constat; Valer. Flacc. I, 531.

*Tum genitor: Vetera haec nobis et condita pergunt
Ordine cuncta suo.*

et I, 807.

*Tum vobis si quid inausum
Arcanumque nefas et adhuc incondita leti
Sors superat.*

Vulgo *incognita*, sed vox *incondita* ex optimo Cod. Carrion. reducenda. Grat. Cyneg. 386. de rabie canina:

*Namque subit nodis, qua lingua tenacibus haeret
(Vermiculum dixere) mala atque incondita pestis.*

i. e. cuius nondum cura medicis explorata est. cf. ibi interpret. ita ipse infra Lucil. scribit de cometis v. 234.

quaeque suos servant incondita motus.

v. 134) *Latent*, quae Codd. omnium lectio est, recte habet; sunt *caeca spiramenta* Virgil. Georg. I, 90.

v. 135) *haesura vias*. *Lege tuis*, hoc est, quod Graeci poëtae dicunt: *Βλέποντα μαρτύρια*. Aeschylus:

Πῶς ταῦτ' ἀληθῆ καὶ βλέποντα δοξάσω;

Plautus vero aliter extulit: *rem tibi aucterem dabo*. Sic infra:

Non illic, duce me, occultas scrutabere causas,

Occurrunt oculis ipsas.

Eodem modo *oculata*m diem dixit, Plautus. SCAL. Similis oratio est Valer. Flacc. I, 333.

*Da, precor, amplexus, haesuraque verba relinque
Auribus.*

v. 136) Valde corrupta sunt, quae tamen non magno negotio, ut spero, a nobis restituta sunt:

*Immensos plerumque sinus ac iugera pessum
Intercepta licet, densaeque abscondita nocti
Prospectare procul, chaos ac sine fine ruinae.*

Chaos vocat τὸ χάσμα. SCAL. Egregia haec emendatio confirmatur Cod. Flor., cuius brevi beneficio hic uti incipimus. *Immensum* tamen e Codd. retinuimus, cf. ad v. 26. In eod. Flor. *densa* — nocte pro *densae* — nocti est. quod recipere nolui. iam supra Lucil. v. 130. *conduntur flumina terrae* dixerat. Talia sunt, quae huius Ms. auctoritatem aliquantum minuunt. *Pessum* tuetur Lucan. III, 674.

*In pugnam fregero rates. sidentia pessum
Corpora caesa tenent, spoliantque cadavera ferro.*
et Lucret. VI, 588.

*Et multae per mare pessum
Subsedere suis pariter cum civibus urbes.*

ubi Wakef. multa exempla addidit, quibus tamen caute utendum est; adde Ruhnk. ad Terent. Andr. I, 3, 3.

v. 138) *Prospectare chaos vastum, et sine fine ruinae.* Ita Cod. Flor. hunc versum profert. Sed aut omnia me fallunt, aut haec etiam prae se ferunt correctorem elegantem; ut *procul* simili, sic minus usurpatum, eliminaretur. Ceterum de labibus cf. Sen. N. Q. VI, 9. et quos Wakef. affert ad Lucret. II, 144.

v. 139) Persequitur docere, quod terra ὑπαντρος sit. Nam multa, inquit, αὐτομάτως, ut quum σεισμῶ discessit terra, ex quo χάσματα illa immensa; quae quoties subito accidebant, veteres Romani Inferorum et Deorum Manium ostia vocabant, sequuti Graecos, ut puto, apud quos χαράνεια. Laërtius in Stoicis decretis: Τῶν δοκούντων παραδόξων, οἷον χαράνεια, ἄμπωτις καὶ πηγὰι θερμῶν ὑδάτων. Deinde subiicit quae fiunt opere humano, qualia sunt, quae in eruenda arena, in metallariis et lapidariis fodinis. Quare ita legendum:

*Cernis et in silvis spatiosa cubilia retro
Antraque demissis pedites fodisse latebris.*

Quin etiam de opere militari intelligat, nunc vero dubitari non potest. Rutrum est *ligo* seu *κρῶνιον*, *σκάφη*, ut in Varronem adnotavimus. *Demissas latebras*, ut Columella et alii *depressas scrobes*. *Pedites*, quos vulgo *Poones* dicimus corrupte, pro *peditones*, qui militare opus faciunt, aggerem, fossas. SCAL. Confundi *rutro* et *retro*, notavit Nic. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 843. Hic tamen neminem consensurum Scal., certissimum est. Nunquam enim Lucil. de *humano* opere exemplum peteret, de *natura terrae* disputaturus. Quod idem de Wernsd. monendum est, de *fodinis ferri* interpretante, et ad hunc sensum refigente versus satis audacter. Gorall. autem *ferarum cubilia* intelligit, ac pro *retro* vel *glires* vel *mures* nqs legere iubet. multo melius de labibus Turneb. Advrs. XXVIII, 41., quamquam in aliis vitiosa ei scriptura obsuit. Quam optime adiuvit Cod. Flor. pro *peditibus*, *penitus suppeditans*. *demersas* etiam eius *latebras* accipio, quantum vis blanda Wernsd. suspicio est, pro *fodisse* legentis *sedisse*; denique v. 141. pro vulgata: *Incomperta via est operum; tantum effluit intra idem Florent*:

Incomperta via est, aeris tantum effugit ultra.

Verissime, si *aër* pro *aeris* scripseris. Ita et verba et sensus apertus est. Nihil enim aliud poeta describit, quam *Spiracula Ditis*. Expressit, ni fallor, Virg. Aen. VII, 563. vel Lucan. VI, 642., qui pendet idem a Virgilio:

*Haud procul a Ditis caecis depressa cavernis
In praeceps subsidit humus, quam pallida pronis
Urget silva comis et nullo vertice coelum
Suspiciens Phoebos non pervia taxus opacat.*

Adde Sil. XII, 124 sqq. Senec. Herc. fur. 664 sqq. ἀναφυσήματα sunt. Auctor de Mundo c. 4. p. 853. ἀναφύσημα δὲ γῆς πνεῦμα αὐτῷ φερόμενον κατὰ τὴν ἐκ βυθοῦ τινος ἢ ῥήγματος ἀνάδοσιν. et p. 854. ὁμοίως δὲ καὶ τῶν πνευμάτων πολλὰ πολλαχοῦ γῆς στόμα ἀνέωκται, ὧν τὰ μὲν ἐν θουσίῳ πρὸς κ. τ. λ. cf. Senec. N. Q. V, 4. Plin. H. N. II, 44. 93. 95. et Stollberg's Reisen Vol. III, p. 19 sqq. De *cubilibus* ne dubites, cf. Merobaud. Paneg. v. 165.

*Cadit agmine facto**Silva ferox; nudi mirantur sidera fontes,**Ignotumque vident montana cubilia coelum.*

Hetro quod tantum non omnes extrudere voluerunt, tale exemplum est, in quo ὄνρα supplerere solent, quod frequentant in hac voce. vide Claudian. Entrop. I, 475. II, 58. VIcons. Honor. 655. Nupt. Honor. 102. Senec. Hippol. 93. Lucret. I, 1058. III, 109. IV, 611. Stat. Theb. I, 7. 269. II, 13. V, 293. XI, 246. *effugere* Lucil. supra sic usurpavit v. 109. et Stat. Theb. X, 95. *Demersas antra fodisse latebras* ita intellige, quasi illa ipsa sibi cubilia effoderint. *Penitae latebrae* Virgilio reddendae sunt Aen. X, 601.

Tum latebras animae, pectus, mucrone recludit.

quam illud *pectus* hic langueat, sine me quisque videt. Neque Servius hanc vocem habuit, ut videtur; dicit enim *esse definitionem pectoris*; cur doceat, si ipsam vocem legit in versu? Scribendum est:

Tum latebras animae penitus mucrone recludit.

ita Aen. XII, 359.

Ense secant late vulnus, telique latebras

Rescindant penitus,

quem imitantur Lucan. I, 39. et Stat. Theb. II, 8. Denique v. 140. Nicol. Heins. ad Claudian. Rufin, II, 527. plane ut Cod. Flor. habet, extulit *ex antiquis membranis*.

v. 141) Distinguendum:

Incompta via est operum. tantum influit intra

Incertum, quomodo illa χύσματα acciderint. Hoc unum certum est, aquas intro fluere, quod non accideret, nisi cava esset terra. SCAL. Aëris e terra profluentis exempla hic dari, diximus.

v. 142) Ἀρχαϊκῶς *profundi τὰ βάθη*. Unde *profundus* apud veteres dicebatur venter. Plautus Captivis:

Profundum tu quidem non fundum vendis.

Caper Grammaticus: *in profundum nummi, vel in arcam conduntur*, quod aenigmatically dixit, aut prodigi, aut parci pecuniam. Eodem modo Varro, octogesima, πρὸς νομισμάτων: *in quo nobilium est Philippeum, quod accipimus, quam quod bibimus; quum alteram*

addamus in bulgam alterum in vesicam. SCAL. Interpretor: *vera i. e. τὰ ὄντα* (quae ipse manifesta nominat v. 144) argumenta dabunt ignoti profundi.

v. 143) Vereor, ut miram orationem defendat prolatus ab Arn. Schmid in Praefat. Manil. III, 43.

Nunc age subtili rem summam perspice cura.

Longe enim aliter dicitur *animo duce curas percipere*. Nemini non verisimile videatur, scribendum esse:

animo duce percipe causas

fortasse melius Lucil. tuebitur Stat. Silv. V, 2, 127.

Surge, animo et fortes castrorum concipe curas.

v. 144) *Adstruo* in multis edd. vere correctum est. Sil. IV, 8.

Adstruit auditis, docilis per inania rerum

Pascere rumorem vulgi pavor.

v. 145) Totus hic locus ita interpungendus:

Nam quo liberior, quoque est animosior ignis,

Semper, et inclusus, nec vectus, saevior illa

Sub terra, penitusque movens; hoc plura necesse est

Vincla magis solvat, magis hoc obstantia pellat.

SCAL. Quae mutavit Scal. haec sunt: *ira est in illa omissa est; movent in movens; solvat et pellat* pro plurali posuit. Quo effecit, ut aliquo modo tamen intelligi verba possint. Sed si acrius animum intendas, molam pro partu excidisse, apertissimum erit. *Aërem* ex istis Ditis spiraculis efflare ait. Hinc velle se nobis internam terrae naturam patefacere, aëre abundantem; at ut subtili ingenio adsimus, rem esse ex ipso profundo hauriendam, immanem, difficilem. Arrecti exspectamus. *Ignis*, docet, liberrima res est. Quid? ubi aër? etiamne nostras manus *ultra effugit?* quem tenere iam vinculis putabamus? O rem malam! Deinde autem, tanquam bene re gesta: *Nec tamen in rigidos exit contenta canales Vis animae*, et porro, quasi exultans: *Hinc terrae tremor, hinc motus, ubi densus hiantes Spiritus exagitat.* Quis non hic cum Fustio exclamet: *Mich dünkt, der Alte spricht im Fieber?* cui licet cum Mephistone respondeamus: *Das ist noch lange nicht vorüber; Ich kenn' es wohl, so klingt das ganze Buch.* Sed ne hominem innocentem lacessamus, satis gravibus vulneribus afflictum,

nec dignis cavillatione. Hic potius nescio quis ingeniosus ignes ad Aetnam asferre voluit. De quo vide, quid ipse Lucil. iudicet, v. 209. *Omnes Exagitant venti turbas. — Nam prope nequidquam par est violentia semper (igni), Ingenium velox illi, motusque perennis, Verum opus auxilium est, ut pellat corpora, nullus Impetus est ipsi, quæ spiritus imperat, audeat; Hinc princeps magnusque, qui sub duce militat ignis.* Vides, quam enixe agat omnia, ne igni nimiam vim tribuamus. Facessat ergo ignis. — Medicinam quam lenissimam adhibui. Nam incidunt etiam hæc in finem folii in antiquo Cod., atque excidisse versum, pro certo habeo. quæ enim tam libere incipit oratio:

Nam quo liberior, quoque est animosior.

ea deinde adeo exilis et fracta est, ut nos misereat eius; adde quod vox *æris* satis dure ex vs. 141. inde huc memoria revocanda est, quæ in versu perdito non dubito, quin scripta fuerit. Itaque instat pro ignis v. 146. ita pro *et* vel in Codd. recepi, *nec ventis segnior ira est* ex Cod. Flor. assumsi. *hoc* vel *hec* v. 147 et 48. in *hic* transformavi. Oratio latina est. Lucret. III, 200.

Igitur parvissima corpora quanto

Et lævissima sunt, ita mobilitate feruntur.

II, 586.

Et quam quidem magis multas vis possidet in se

Atque potestates, ita pluria principum etc.

IV, 629.

At contra pungunt sensum, lacerantque coorta

Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.

cf. VI, 561. Valer Flacc. IV, 544., et quæ de omisso *eo* post quo multi notarunt, velut Heindorf. ad Horat. Sat. I, 1, 92. Si quid tamen maius audendum est in re desperata, sic in promptu est scribere:

Nam quo liberior quoque est animosior, instat

Septorum claustris; nec ventis segnior ira est

Sub terra etc.

Sed noli quidquam couari, nam res certa de versu adempto est ideo, quia ne *æ'r* quidem ex superioribus, sed *venti* debeant suppleri et *Spiritus*. Compara, unde hic locus desumptus est, Senec. N. O.

VI, 17. qui pendet ab Aristot. Meteor. II, c. 8. p. 798. *Idem spiritu fit, qui quo valentior agiliorque est, citius rapitur et vehementius septus omnes disturbat.*

v. 149) *Rigidas canales* foeminino, ut supra; ita enim habent veteres editiones. *Rigidas σφιδνωρούς*, ut Lucret. *rectas fances* dixit. Infra *rigidum* verticem dicet, *rigido qua vertice surgit*. Metaphora e corpore humano. Quibus enim rigidae cervices, illi *σφιδώπυοι*. SCAL. *Rigidos* omnes Codd. habent, sicut v. 127. *diversos*. Senec. N. Q. VI, 15. *Et quia in rectum non potest tendere, quod illi naturale est, sublime se intendit, et terram prementem diverberat*. Huc pertinere videtur Tibull. IV, 1, 207.

Seu me finget equum rigidos percurrere campos.

(cf. Horat. Sat. I, 1, 90 sq.) ubi Statius, ut hic qui Cod. Florentinum interpolavit, *riguos* volebat.

v. 150) *Vis animas* ex Codd. sribligine dudum recte in edd. correctum erat. Ceterum hic rursus *flamma nos terrent*, vulgo :

Vis animas, flamma vertit.

Sed stramine vivit, non Aetnae vigore; uno flumine restinguetur. Hic ut saepe unus Helmst. candida librarii fide veritatis nobis vestigia servavit, *flamma neurit* praebens. Lego: *flamen vertit*. alterum ergo hoc huius casus exemplum est post Ciceronis auctoritatem, Arat. 10.

*Inferior paullo est aries, et flamen ad Austri
Inclinatio.*

Ibid.) qua proxima cedunt. Lege caedunt, hoc est ἐκκρίπτει. retardant, remorantur. SCAL. *Caedunt* quaedam Edd. habent, velut Seb. Brantii; quarum auctoritati cessisse Scal. videtur.

v. 151) *Causa* ut apud Ovid. Pont. II, 9, 15.

Conspicitur nunquam meliore potentia causa,

Quam quoties vanas non sinit esse preces.

i. e. res in qua se potentia exercent. Si forte sunt, qui Goralli *caulam* exosculentur, ii meminerint, *tenerrimam caulam fore angustissimam*; quod ineptum esset.

v. 152) *Densus hiatus*. Expressit Graecum ἀγανές; est enim παρὰ τὸ χαιρεῖν, *hiare*. SCAL. *Hiantes* ex Cod. Flor. recepi. Senec. Oed. 189.

*Stillatque niger naris aduncae
Craor et venas rumpit hiantes.*

Claudian. Rufin. II, 378.

Rarosque plagarum

Contrahit anfractus et hiantes colligit oras,

Lucan. I, 624.

*Cor iacet et sanie per hiantes viscera rimas
Emittunt.*

cf. Virg. Georg. I, 89. Lucret. IV, 592. et qui eum imitatur Prop. IV, [III] 17, [16] 34. et Stat. Theb. IX, 450., ubi *hiulcas venas* Schol. recte interpretatur: *semiaperturae*, cf. ibid. v. 529.

v. 153) Est hoc quoque tralatitium a corpore humano. Aristoteli quoque in terra σπυγγός dicitur. SCAL.

v. 154) *Solidoque instaret inani*. Soliditate sua resisteret inani. Sed ἀμφίβολον est. Puto:

solidumque instaret inani.

SCAL. Recepi Cod. Flor. lectionem: *solido si staret in omni*, sic supra v. 95. *Non totum et solidum.*

v. 156) *Pigraque et in pondus confestim mobilis esset*. Corruptus haud dubie versus. Lego:

Pigraque et in pondus conferta immobile cesset.

Idem paene supra, iisdem verbis:

Conferta in solidum signi sub pondere cesset.

ut vero hic *confestim*, sic in illo *conferta* mendose legebatur. *Cessare*, ut iam adnotavimus, est, immobile esse. Sic paullo ante: *cessantiaque urget*. Cessare in corpore est ἀναίσθηταιν. Sic ante *signi pondere* dixit; nam *signis* sine igne, ut *secors* sine corde. *Signis* igitur, cui color naturalis decessit. Ergo immobilis. Nam Thaleti et Philolao terra in medio oceano movetur. Nisi enim moveretur, aiunt, ipsa se librare non posset; sed moventi succurrit illa libratio ἀτάλαντος et aequalis semper. SCAL. Verissima Scal. emendatio est, quae probatur Codd. H. 3. Flor. sed *cesset*

hic quidem cum *darot* non coiret; itaque ex Codd. *esset* retinendum fuit. Ceterum indignis modis hic traducendus Gorall. *esset*, qui sine causa, ipse indignissimus, magno Scal. insultare hoc loco non veretur, si hominem vel cum parvo chartarum detrimento honestari vellem.

v. 157) *Sed* etc. Si putas summis causis, et non abstrusioribus tantum opus assignandum esse; hoc est, si credis, in summo ore ac aditu ipso virium alimentum esse flammis, aut flammis ibi nasci, non in penitioribus recessibus; fallere. Nam ille ignis, qui in ipsis penetralibus agitando vires collegit, iam in inferiori ac patentiore aditu remittit et languescit. Itaque illos fragores ac sonitus, qui etiam procul navigantibus ex Aetna audiuntur, ne putes fieri in ipsis faucibus, sed in angustiis fundi. Seneca de Aetna ad Lucilium: *Neutrum incredibile est, nec montem, qui devoratur quotidie, minui; nec ignem manere eundem; quia non ipse ex se est, sed in aliqua inferna valle conceptus exaestuat et alius pascitur. In ipso monte alimentum non habet.* SCAL. — *Sed nondum tibi certa lumine recto.* Scribe:

Sed nondum tibi lumine certa carento.

Sed nondum, inquit, careant occulto testimonio. Nolo mihi disputanti credas, per te ipse oculorum sensui credere potes. SCAL. In accurata Scal. interpretatione unum habeo, quod moneam. Scribendum enim non erat: Nam ille ignis, qui, sed ille, *aër*. Spiritus enim vis in Aetnae incendio demonstratur, eoque omnia sequentia pertinent. Locus ergo ex Seneca huc non facit. Verba nos Cod. Florentini ope vel beneficio emendavimus. ex hoc enim v. 157. *concreescere. 58. subitis — ora. 59. patula — vastos. 60. autem totus ex eodem sumtus.* Nos tantum *Quod* v. 159. reposuimus pro falsa lectione *Quas*. quod si retinere velles, *esset oia ys*, sed non novi exemplum, ubi *qui* tali significatione post substant. collocetur. Illustrant nostrum Lucret. VI, 701. de Aetna loquitur:

In summo sunt vertice enim crateres, ut ipsi

Nominant, nos quod fauces perhibemus et ora.

et Claudian. R. Pr. III, 392.

Postquam perventum est scopuli flagrantis in ora,

Protinus arsuras aversa fronte cupressus

Faucibus iniicit mediis.

Etiam reliqua orationis conformatio e Lucretio est:

*Quod si forte aliquis credit, graviora potesse —
Avis a vera longe ratione recedit.*

v. 161) *Namque illud, quodcumque vacat specus omnis hiatu
Et res introitu, Scribo:*

*Namque illud, quodcumque vacat specus oris hiatu
Est reses introitu.*

Nam in ipsis faucibus reses est opus, propter liberius iter, et aditum patentem. Semper oris hiatum vocat τὸν κρητῆρα. Residem ignem, aut reses opus dicit, ut alibi: *quum frigida monti desidia est.* Deinde sequentia ita legito:

solvunt se, adituque patenti

Conversae languent vires.

SCAL. Quod supra monitum est, repeto. Non de igne hic agi, sed de aëre. Hinc primum is fructus ad nos redit, ut omnis hiatu stare possit, quia versus non ad Aetnam unam referendus est; neque potest omnis corrigi, ut sequentia docent:

Quippe ubi qui teneat ventos quacunq̄ue morantes.

Ergo de omni spēcu patentiore loquitur Lucil. Ex quo porro sequitur, non illud v. 161. scribendum esse, quod ad opus i. e. Aetnae incendium pertineret, sed illic cum Helmst. correct. et edd. haud paucis. (ex eodem H. quacunq̄ue retinui.) Quo concesso, simul Scal. acuta inventio: *Est reses* concidit; non enim iam habet, quo referatur; ut omittam, neque *reses* neque *doses* in nominat. singul. apud poetas certe inveniri nusquam. *Se* autem, quod Scal. addidit, omittendum putavi, quum *solvere* pro *solvi* dici sciamus. Nos autem in omnibus Codd. sequuti sumus, nisi quod una litera mutata sensum illustrissimum fecimus, pro *Et rose* scribentes:

*Namque illis, quocumque patet specus omnis hiatu,
Et rore introitu solvunt, adituque patenti.*

Vides, *Et — que — que* sibi respondere. Sensus est: aërem in vasto speluncarum spatio languentem in humorem solvi, atque remittere animos; nam:

Angustis opus est turbare in faucibus illos.

Lucan. IV, 301.

Antra nec exiguo stillant sudantia rore.

Sed Senecam ad partes vocemus, N. Q. III, 9. *Aiunt habere terram intra se cavos recessus, et multum spiritus, qui necessario frigescit, umbra gravi pressus. Deinde piger et immotus, in aquam, quam se desiit ferro, convertitur.* — Sub terra vero, quidquid est, quod illum in aquam convertat, idem semper est; umbra perpetua, frigus aeternum inexercitata densitas. — cap. 15. *Saepe colligitur roris modo.* — *Sudorem aquileges vocant.* Si putabis, verum esse, quod habet Cod. Flor. *Et sese introitu etc.*, quod ego a correctore venisse dico; sic lege *illuc vs. 161.* ex aliis Codd. scribens:

Conversae languent vires, animasque remittunt,

Et sese introitu solvunt adituque patenti.

v. 164) *Quippe ubi contineat ventos qua quique morantes. In vacuo desint. Lege:*

Quippe ubi contineant ventos quascunque morantes

In vacuo desunt, cessant etc.

Ubi illae causae, quae interclusos ignes exercebant, in vacuo defecerunt, cessant ignes. SCAL. Ego auctoritati Cod. Flor. parendum censebam; quem omnem reddidi, si *quacunque* excipias, quod pro *qua quique* scribendum fuit; quod si servandum esse dices, pro: *qua quisque* dictum puta, ut apud Lucr. IV, 344. (ubi Wakef. Glossatorem protulit, *quique ἐκαστο;* explicantem.) et corrige: *morantur.* Utrum sit verius, non iudico. Sed aliud me exercet. *Explicat* plane hic, ut. v. 26. scribitur, et sic loquitur Lucr. II, 880.

Non alia longe ratione, atque arida ligna

Explicat in flammis, et in ignes omnia versat.

Stat. Theb. X, 41.

Illius aura solo volucres pecudesque ferasque

Explicat.

Merobaud. Carm. III, 1.

Explicat aestivas ramis errantibus umbras.

Sed quis hanc casuum mutationem ferat? *venti* cessant; et profundum, quantum quidem patet, *ventos* errantes explicat, et *venti* tardant. Cur ita contorte loquitur, praesertim in tanti languoris

descriptione? Neque fecit, si me audis, sed ut alibi (cf. Tibull. I, 4, 69. ubi vid. Huschk.) sic hic *explicat pro explent* irrepsit. Repone:

Cessant, tantumque profundi

Explent errantes, et in ipso limine tardant.

ut idem Lucret. VI, 717.

Et contra fluvium stantes remorantur, et undas

Cogentes sursum replent, coguntque manere.

it. I, 599. et Lucan. V, 152.

Non rupta trementi

Verba sono nec vox antri complere capaci

Sufficiens spatium.

Ibid.) *Tantumque profundi.* Id est τοσοῦτο ἀγανές. Aristoteles: ποιεῖ δὲ ψόφον ἄνευ σεισμοῦ, διὰ τε εὐρυχωρίαν τῶν τόπων ἱεροῦται γὰρ εἰς τὸ ἀγανές ἔξω· καὶ δι' ὀλιγότητα τοῦ ἀπωθουμένου ἀέρος. Ubi etiam redduntur illae causae, quas hic intelligit Corn. Severus. SCAL. Adde Senec. N. Q. VI, 18. *Hic (spiritus) quam diu non impellitur, et in vacante spatio latet, iacet innoxius, nec circumiectis molestus est.*

v. 166) Legendum est: *at in ipso limite tardant.* In cursu suo tardant, inquit. In ipso aditu evanescunt et languent. SCAL. *limine* ex Cod. H. scripsi: *limite* 3. habet.

v. 168) Codd. varie peccant. de Flor. non liquet, Pith. *fremunt* habet; ego vulgatam retinui: *premunt, premiturque ruina.* sic loqui Lucilius, supra vidimus; et omnis oratio persuadet, hunc lusum studiose hic quoque quaesitum esse; neque enim, paene obscure, *premi ruinam* dixisset, nisi *premere* ventos, *premi* terram copulare voluisset. cf. Lucret. VI, 559. Senec. Qued. 131.

v. 169) *Hinc furtim Borea atque Noto.* Aliquando hoc, aliquando illo vento agitari, interdum etiam utroque. Qui fit ut acrior sit conflictus ignis, utrisque ventis spirantibus ab utroque montis latere. De hoc quaedam Strabo loquens de Lipara insula ex Polybio: ἐὰν μὲν οὖν, inquit, νότιος μέλλοι πνεῖν, ἀγλὴν δαιγλώδη καταγεῖσθαι κύκλω φησὶ τῆς νησίδος, ὥστε μηδὲ τὴν Σικελίαν ἀπωθεῖν φαίνεσθαι. ὅταν δὲ Βορέας φλόγας καθαρὰς ἀπὸ τοῦ λεχθέντος κρατῆρος, εἰς ὕψος ἐξαίρεσθαι καὶ βρόμους ἐκπέμπεσθαι μείζους, τὸν δὲ ζέφυρον μέσην ἔχειν τινὰ τάξιν.

Propterea fit, ut hoc aut illo vento flante, ex alterutro crateres spiraret flamma. Quum vero fit, ut veteres loquebantur, *confugium* duorum ventorum, utriusque crateris flammæ in unum conveniunt. Atque hoc quidem alio loco Strabo admonet: *ἔοικε δὲ λαμβάνειν μεταβολῆς πολλὰς τὰ ἄκρα τοῦ ὄρους διὰ τὴν νομὴν τοῦ πυρός, τότε μὲν εἰς ἓνα κρατῆρα συµφερομένου, τότε δὲ σχιζομένου.* Pro, *hinc furtim*, mallet, *hinc fartim*, ut stipationem intelligat. Lucilius:

lardum et carnaria fartim

Patrum conficeret.

Ubi vulgo contra veterem scripturam, pari atque hic errore, *furtim* legitur. *Fartim* poetae legunt πύκα. SCAL. De motu terrarum in universum tractari, supra monuimus. In verbo *furtim* recte Scal. haerebat, sed *furtim* neque mihi satisfacit, neque cuiquam puto. Neque si lectionem eam assumas, melius orationi erit consultum. Nam quo *Borea atque Noto* pertinent? Nusquam possunt, nisi ad: *premiturque ruina Hinc Borea atque Noto.* at illius enunciati omnem vim in brevitate positam nihil additamenti pati, supra indicavimus, cui hic nova ratio additur; *hinc* enim ter repetitum integrum orationis tenorem incipit. Sin ablativi non huc referendi sunt, nusquam sunt, neque habent eos Codd. sed correctoribus debentur, quum omnes Codd. *Boreas* casu tertio praebeant. Iam autem quid sibi vult istud *furtim*? Illine venti *furtim* sunt, qui urbes prosternunt, qui terris ruinam minantur? Nam *furtim* significare ventos subterraneos, quorum non ipse impetus sentiatur, quo exemplo tueris? Ergo si oratio prorsus suis vinculis destituta est, si verbum *furtim* omnem interpretationem spernit ac reiicit, nonne in hoc vitium inesse concludamus? Itaque non veram emendandi viam Vlitius iniit, quando ad Grat. Cyneg. 450. reliqua omnia miscens, hanc unam vocem falsam relinquit: *premiturque. Ruente Nunc furtim Borea atque Noto* — et v. 170. *dum saevo.* Potius, quo eundem sit, seqq. aperiunt: *Hinc venti rabies.* Sic enim iunctim haec proferre solent, Lucan. VII, 551.

Hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina Caesar.

v. 557.

Hic Caesar, rabies populi, stimulusque furoris.

Sil. XIII, 343.

*Hic postquam mandata Dei perfecta, malamque
Sedavit rabiem et permulsit corda furentum.*

Lucr. IV, 1111.

Inde redit rabies eadem, et furor ille revisit.

Ovid. Trist. II, 149.

*Ac veluti ventis agitantibus aequora, non est
Aequalis rabies continuusque furor.*

Virg. Aen. V, 801.

Saepe furores

Compressi et rabiem tantam coolique marisque.

Hanc secutus consuetudinem repono:

Hinc furor est Boreas atque Noto — nunc unus uterque est —

Hinc venti rabies, hinc saevo quassa meatu

Fundamenta soli trepidant urbesque caducae.

quassa meatu ex felicissima coniectura Wernsd. recepi; ex divisa littera *m* vitiosa lectio orta erat, *meare* de motu vehementi habent Auson. Mosell. 29, 35. Lucret. VI, 300. Claudian. Rufin. I, 273. R. Pr. I, 172. II, 184, 73. Lucan. V, 191. *Soli* Cod. Flor. debetur. — *Soli trepidant.* Legendum, *sola trepidant*, nam positio fit in duabus sequentibus consonantibus, ut apud Catullam:

Propontida trucemque Ponticum sinum.

Idem: *per impotentia freta.* SCAL.

v. 173) *Antiqui dedi* ex Codd. H. 3. Flor. de sententia cf. Lucret. VI, 556 sqq. et 596 sqq.

v. 174) *Haec immo species rerum* Cod. Flor. praebet. Nihil verius. Nam vulgata: *Haec primo quum sit species*, ubi apodosin habet? hiccine est ulla conclusio? si sit, haec erit; quia terra cavernosa est, terra est cavernosa. Est potius coronis finitae de ventis subterraneis disputationis. Scribe:

Haec imo species rerum naturaque terrae:

Eodem prorsus epiphonemate infra utitur:

Haec operis forma est; sic nobilis uritur Aetna:

v. 176) Lucan. I, 523.

Addita fati

Peioris manifesta fides, superique minaces:

Proxima vero id est: quae Aetna oculis ostendit, certum adeo testimonium internae naturae sunt, quasi oculis agi ipsis omnia cernamus; *verum* ut supra res ipsa, sensibus conspicienda. Similiter *proximum* ita usurpant Ovid. *Metam.* I, 63.

*Vesper et occiduo quae litora Sole tepescunt
Proxima sunt Zephyro.*

XII, 397.

*Gratus in ore vigor; cervix, humerique, manusque
Pectoraque artificum laudatis proxima signis.*

Quod Euripid. *Hecub.* 555.

μαστούς τ' ἔδειξε στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος
κάλλιστα.

Phaedri *Fabb.* I, 105.

Negabat illa se esse culprae proximam.

v. 180) Tenendum est, hic montem Aetnam describi non totam, sed summam eius partem usque ad regionem silvosam. quodsi omnia illius montis miracula voluisset describere, feracitatem soli, amoenitatem regionum, urbium multitudinem, populorum confluum; quis non extremam hanc orationis exilitatem exagitet? sed non cupressum Lucilius in tempestate appingit. docet praeterea v. 186. et maxime Strabonis descriptio infra apponenda. *aditus* ergo est *crater* et ipsae fauces, unde ignes erumpunt; sive ut apud Sil. III, 517.

*Rumpit inaccessos aditus, atque ardua primus
Exsuperat, summaque vocat de rupe cohortes.*

Sive ut apud Senec. N. Q. VI, 15. *Terra multis locis perforata est, nec tantum primos illos aditus habet, quos velut spiramenta ab initio sui recepit, sed etc.* Arist. de *Mundo* pag. 854. Ἐμπεριέχει δὲ καὶ πολλὰς ἢ γῆ ἐν αὐτῇ καθάπερ ὕδατος, οὕτω καὶ πνεύματος καὶ πυρὸς πηγὰς. τούτων δὲ ἃ μὲν ὑπὸ γῆν εἰσὶν ἀόρατοι, πολλὰ δὲ ἀναπνοιαὶ ἔχουσι καὶ ἀναφύσεις, ὥσπερ Λιπάρα τε καὶ Αἴτην καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις. Scripsi: *Hic vasti etc.* quod iam edd. quaedam vere correxerunt; error ex repetita bis eadem voce huc delatus est: *hinc* autem non habet, quo referatur, quum *his* descriptionem incipiat.

v. 181) *Penitusque quod exigit.* Ἀπὸ κοινοῦ corrigit. Quae extuberant, deprimit. τὰ ὑψωθέντα ὀμαλοῖ, καὶ καταβάλλει. Contrarium dixit Seneca: *differt montes, subrigit plana, valles extuberat.* SCAL. Corrigit Codd. reliqui omnes habent, sed porrigit Cod. Flor. lectio unice vera est. Nam nondum de ulla pravitate audivimus. quid ergo hic corrigendum? proximo demum versu ad rupes et scopulorum discordiam pervenimus. Neque hic illud urgeo, quod porrigere se montes proprie dicuntur, velut Claudian. R. Pr. I, 151. *In medio scopulis se porrigit Aetna perustis* (cf. Lucan. II, 399. Claudian. R. Pr. II, Praef. 19. Cons. III. Honor. 149. IV, 442. VI, 286.) Sed quid hic sit *porrigere*, Strabo doceat Lib. VI. p. 189. ed. Casaub. prior, ubi quae summae Aetnae natura suo et Lucilii aevo fuerit, sic exponit: Οἱ δ' οὖν νεωστὶ ἀναβάντες διηγοῦντο ἡμῖν, ὅτι καταλάβοιεν ἄνω πεδῖον ὀμαλὸν, ὅσον εἴκοσι σταδίων τὴν περίμετρον, κλειόμενον ὀφρυῖ τεφρώδει τειχίου τὸ ὕψος ἔχοντι, ὥστε δεῖν καθάλλεσθαι τοῖς εἰς τὸ πεδῖον προσλθεῖν βουλομένοις. ὄρᾱν δὲ τὸ μέσον, βουνὸν τεφρώδη τὴν χροάν, οἵαπερ καὶ ἡ ἐπιφάνεια καθωρᾶτο τοῦ πεδίου. Hic est aditus, haec planities porrecta Lucilii, haec discordia scopulorum vs. sq. Ceterum *Hinc* in Pith. est, neque Cod. Flor. diversitas notatur; quod recepi: *hinc* i. e. ab aditu seu cratere. Hactenus bene omnia. Sed alteram versus partem intelligisne? Qui verba iungis? ubi illud verbum, quod *et penitus* promittit? Scal. etiam haesit; sed ut concedam, quod nego debere concedi, ferri posse hanc orationem: Artus corrigit et penitus corrigit, quod ultra exigit; quid nunc dicemus, postquam *porrigit* legimus? Num: Artus porrigit et penitus porrigit? et quid est *ultra exigere*? Omnino vitiosa vox *ultra* est; certissima autem correctio haec:

Porrigit hinc artus, penitusque quod exigit arctat.

h. e.: hinc continua se planitie extendit, et penitus, quod ad regulam exegit, suis finibus continet; saepe *arctare* suo modulo cohibere significat. sic aggeres, ne dilabantur, ligno arctari videmus apud Lucan. III, 395.

Spoliantur robore silvas

Ut quum terra levis mediam virgultaque molem

Suspendant, structa laterum compage ligatam

Arctet humum, pressus ne cadat turribus agger.

et ne longi simus, adde Claudian. Honor. Cons. VI, 518. Lucan. VII, 143. et quos ibi afferunt Benth. et N. Heins. Advers. p. 159 sqq. Senec. Hippol. 1055. Claudian. B. Gild. 225. Stat. Theb. I, 24. III, 356. IV, 156. X, 493. Silv. II, 1. 129. Nemesian. Cyneg. 92. Rutil. Itin. 1, 317. Lucret. V, 1146.

v. 182 sqq.) Omnino legendum:

discordiaque ingens

In nervos nectunt medios, mediumque coercent,

Pars igni domitae, pars ignem ferre coactae.

Errorem inde natum puto, quod scripsisset librarius, in *nervos*, unde *inter opus* factum est. Ostendit inaequalitatem Aetnae, neque discessit a translatione, quum *arctus* Aetnae attribuit, ut etiam *nervos* daret, ut alibi:

Densa per ardentis exercent corpora nervos.

Nectere in nervos, νεύραις διαλαμβάνειν. et proximi e regione Aetnae montes, quos Siculi ὄρη νευρώδη vocant, videntur ita ab asperitate dicti: quomodo homines compactis viribus Sabini *nerones* vocabant, quasi *νεύρωτας*. Alii tamen eos montes ab hinnulis dixerunt *νεβρώδη ὄρη*. Quod sequitur, *pars igni domitae, pars ignes ferre coactae*, est pars iam ambustae, pars adhuc ardens. SCAL. Neque Scal. coniecturam probo, neque Vlitii mutationes moror ad Grat. Cyneg. 304. nec Wernsd. interpretationem; qui si conferantur, ab unoquoque in quo erraverint, coargui possunt. Nos duces Strabonem sequuti omnem rem expeditam habemus, levissima mutatione. *Varios mediumque* omnes exercuit, et inde etiam Cod. Flor. correctio venit *aliae*. Correctionem enim esse sic probo: *Obstare* rupes et *medium* (i. e. planitiem, quam cingunt, cf. Strab.) coercere iam dixit. itaque *aliae rupes* non ad priora pertinent, nam non sunt *aliae* sed eadem. ergo ad *divisionem* quae insequitur: *partim domitae, partim ferre coactae*. Haec autem divisio nulla est: *aliae* coercent *aliae* domitae sunt; sed potius *omnes* rupes cingunt, quarum *aliae* sunt igne domitae i. e. ex monte liquefactae profluxerunt, *aliae* deferunt ignem, nam lavam seu lapidem molarem, seu silicem, ut Lucret. ait, *ipsam*

ardere, non variis rebus mixtum *effici*, iam hic tangit, quod infra operose demonstrat. atque haec varia natura lapidum *ingens discordia inter opus* nominatur. i. e. ingenti discordia hic cernis quondam fluentem lapidem molarem (opus Aetnae) se erigere inter nativos montis scopulos, qui ignem deferunt. Postquam sensum expeditivimus, verba sic constituē:

*Hinc scissae rupes obstant; discordiaque ingens
Inter opus; nectuntque moras mediumque coercent,
Pars igni domitae, pars ignes ferre coactae.*

Defendant certissimam scripturum verba Strabonis et accurata huius regionis descriptio in: Briefe über Sicilien und Malta v. Gr. v. Borch. T. I. p. 72. *Scissae* ex Cod. Flor. assumi, eo sensu, quem describit Swinburne Reise durch beide Sicilien. T. I. p. 57. vers. R. Forster: *Die Oberfläche von dieser schwarzen und nun stehenden Flut ist sehr aneben, voll Spitzen und Erhöhungen und in Risse zersprengt. Es sah gerade so aus, wie ich mir vorstelle, dass ein felsiger Berg, der durch ein Erdbeben zum Theil herabstürzt und in Stücken zersplittert wäre, aussehen müsste. Spissae sensu non minus commodo dici, apertum est; ut, nisi auctoritate vinceret Flor., illud praeferrem.*

v. 185) Explicat Gorall.: „ut Aetna concavus speciosius quiddam oculis nostris obiciat, quam si esset solidus.“ Audio; quamquam veriore sensum hunc expectemus: ut propter illud opus i. e. propter eruptionem maior et augustior Aetnae species sit, quam contra. Sed verba non addicunt. Cede exempla verbi *succurrendi* sic usurpati! animo quidem succurrit species, ut Ovid. Heroid. IX, 67.

Non tibi succurrit crudi Diomedis imago?

Sed non, ut *iudicium nobis succurrere*, ut nobis aliquid *videri* possit indicare; neque Virg. Aen. II, 317. huc pertinet, ubi *consilium* repentinum *succurrit*, siquidem illud *consilium* nuncupare volēs, nec potius *quidquid in animum venit*, ut Servius habet. Deinde cur *inanem* Aetnam dicit? non quod *inanis*, sed quia flammae erumpunt, quia ingentes moles iaculatur, magna est. multa sunt inania, neque tamen magna. Porro, si Goralli explicatio vera esset, continerent haec descriptionis clausulam. atqui haec vs. sq.

sequitur. Ergo versus noster ipsam descriptionem continuat, et particula *ut* ex prioribus aliquid concludit. Iam ex quo quid concludatur nihil est, nisi, quod dicit alias rupes indomitas esse, alias domitas, i. e. ex internis montis partibus liquefactas effluxisse. quid sequitur? sequi dicit, ut mons magnitudine augeatur, quum annis igneus in externis partibus resideat, plane ut Claudian. R. Pr. III, 396.

*Compresso mons igne tonat, claususque laborat
Mulciber, obducti nequeunt haerere vapores,
Coniferi micuere apices, crevitque favillis
Aetna novis.*

hunc omnino inde a v. 350. utiliter cum Lucilio conferes, quem ante oculos habuisse videtur. Vide, an ita scribi velis:

Ut maior species Aetnae succrescat inanis.

Neque inanis haec observatio est. Senec. Ep. 79. *In honorem meum Aetnam quoque ascendas; quam consumi et sensim subsidere ex hoc colligunt, quod aliquanto longius navigantibus solebat ostendi. — Neutrum autem incredibile est; etc.* Hanc ergo opinionem impugnat; cinerosam vel inanem partem etiam crescere affirmans; neque semel, cf. v. 396 sqq. Sed ut sensum invenisse haud dubie mihi videor, ita correctio nequaquam satisfacit.

v. 186 et 187) De his versibus cf. Praefat.

v. 188) *Incendere locum* veteres dicebant, pro celebriorem reddere; ut apud Varronem: *incendere annonam*, de Re Rustica, et apud eundem τὰ φῆ Μενίππου. *Edones Romam, ut turba incendat annonam.* Ita enim legendus ille locus apud Nonium. Plautus Trinummo: *si istud, ut conare, facis indicium, tuum incendes genus.* Similiter Augustus Caesar: *nos forum aleatorium excalfecimus.* Ergo *opus artificem incendit*, est admirabiliorem reddit, ut causae accuratius exquirantur. Sequitur: *Causamque reposit.* Hoc in causa est, ut artificem admiremur, et causam poscimus ab illis ignibus, qui non sunt exigui momenti. Nam poscere aliquam imitatione Graecorum dictum, εἰσπράττειν τὰ ἀγύροισιν. Hotat. *Poscimus, si quid etc.* Ita olim de industria correximus. Quod postea et librorum veterum et doctorum virorum consensu receptum est. SCAL. Sententiam Manil. illustret. I, 47.

*Dilectique sacerdotes in publica vota
 Officio vinxere deum; quibus ipsa potentis
 Numinis incendit castam praesentia mentem,
 Inque deum deus ipse tulit patuitque ministris.*

v. 189) Hunc versum dedimus ut ex Cod. Flor. adnotatus est. Ne ablativi; alter alterum regentes, te offendant, cf. Ovid. Am. I, 7, 57.

*Adstitit illa amens albo et sine sanguine vultu.
 tenuis et parvus idem sic iungit Metam. VI, 62. tenues, parvi discriminis umbrae.*

v. 190) Depravatissimus locus, quem ita lege:

*Mille sub exiguo ponam tibi tempore veras
 Res, oculique duces certo rem credere cogent.*

Ita semper loquitur: certo tibi pignore ostendam, oculis ipsis occurrent causae et similia. SCAL. Variet. lectionis quae sit vides. Etiam hunc versum Cod. Florent. debemus; factus est ad Lucr. II, 868.

Sed magis ipsa manu ducunt et credere cogunt.

v. 192) Quin etiam tactu moneant etc. Corrige:

*Quin etiam tactu moneant contingere tuto,
 Scilicet; at prohibent flammae custodiaque ignis
 Illi operum est prohibens aditu, etc.*

Quin etiam ipsi oculi duces manifesto moneant te tuto posse tangere, tuto accedere. Sed prohibent flammae, prohibet ignis ipse, qui veluti operum custodia septus est. Claudianus:

Aetnaeos apices solo cognoscere visu

Non aditu tentare licet.

Ita ostendit, non in superficie Aetnae esse causas motus illorum ignium, sed intus in infimis partibus. — Et illi igni est quasi quaedam custodia περιβεβλημένη, quominus sit εὐπρόσκιτος. SCAL. Verissimam lectionem moneam a Cod. Flor. habemus; quo recepto magna pars Scal. interpretationis concidit et eiusd. *Scilicet. at. ex eodem Flor. operi et aditus est. tuto et arcens* (errore calami Scal. *prohibens* videtur scripsisse) cum Scal. retinui. cf. de hoc partic. usu quos contulit Ruhnk. ad Terent. Andr. III, 2, 28. et Lachm. ad Prop. III, 30, [II, 36] 53.

v. 194) *Divinaque rerum*, ut Horat. *acuta belli, acerba curarum*; Catullus *truculenta Pelagi*. SCAL.

v. 195) *Novimus istum versum!* Wernsd. cum aliis molestum abire iussit. Ego si alteruter eiiciendus sit, illum v. 185. loco moveam, hunc sic corrigam:

Divinaque rerum

Ut propius spectes Aetnae, succurrat inanis

Cura; sine arbitrio est; eadem procul omnia cernis.

Strab. l. l. δύο δὲ τολμήσαντες προσελθεῖν ἐπὶ δὲ θερμότερας ἐπέβαινον τῆς ἄμμου καὶ βαθυτέρας, ἀναστρέψαι, μηδὲν ἔχοντας περιττότερον φράζειν τῶν φαινομένων τοῖς πόρρωθεν ἀφορῶσιν — οὔτε γὰρ πρόσκιτον εἶναι τὸν τόπον οὐδ' ὄρατόν. Possis praeterea Empedoclis hic mentionem iniici putare, cuius interitum nusquam attingi, iam alii mirati sunt. Sensum versione patefacimus.

v. 196) *Cura sine arbitrio est.* Etiam sine arbitris per te ipse iudicare potes. Frequens est in hoc genere. SCAL.

v. 197) *quid torreat auctoritate* Cod. Flor. *recepti. torreat* etiam edd. multae habent, et Ovid. R. Am. 491. hac voce de Aetna utitur. noli cum Wernsd. ad v. 3. provocante *torqueat* praeferre; uno enim *torrendi* verbo hic idem complectitur, quod ibi *aestu torquere* dixerat. Haud tamen scio, an non melius *rell.* Codd. lectionem sic cum Cod. Flor. aptemus:

penitus quin torreat Aetna

Aut qui mirandus tantas faber imperet arti.

quamquam, inquit, in fauces ipsas inspicere non possumus, non tamen dubium est, quin *penitus* et in intimis visceribus Aetnae *materias inflammabiles* torreantur, neque *spiritum* incendiōrum causam esse. si non ita leges, bis idem dicitur, *aut* vero continuabit orationem non disiunget. neque *imperat* spernendum est, quod Codd. habent. Similiter Prop. loquitur IV, 4, 5.

Quis deus hanc mundi temperet arte domum.

v. 199) Plin. H. N. II, 103. de Aetna: quinquagena et centena millia passuum arenas, flammaram globo, eructat. Lucr. VI.

extollere flammās

Saxaque subiectare et arenas tollere nimbos.

LINDENBR. *Exhaustae* pro vulgato *exustae* et *glomeratim* pro *glomeratus* ex Cod. Flor. dedimus. Utrumque recte. *Spiritus* enim ignium *artifex* inducitur, ut sequentia, maxime v. 209. edocent, qui *exhaust* arenas. *glomeratim* autem elegantissime versus lenitatem litteris liquidis et acutis vocalibus pergentem adiuvat. erit itaque hoc adverbio augendus adverbiorum in *im* catalogus, institutus a Wakef. ad Lucr. I, 45., cui *neglectim* Huschk. addidit ad Tibull. I, 8, 37. Heinsius tamen cum vulgata hunc vs. profert: *exustae glomeratus* ad Claudian. R. Pr. I, 163.

v. 200) *Flagrantes moles, hoc est, μῦδροι.* Strabo et in opere de Mundo. SCAL.

v. 202) *Per incendia mista fusca ruina* intelligit, quam Virgilius *piceam nubem* vocat, Strabo *λιγνύη*, cum ait: *τότε μὲν εἰάκας ἀναπέμποντος, τότε δὲ φλόγας καὶ λιγνῶς, ἄλλοτε δὲ καὶ μύδρους ἀναφυσῶντος.* SCAL. Stollberg Reisen p. 26. *Zwischen dem schwarzen stieg manchmal ein gelber Rauch aus dem Schlunde des Vesuv.* quae omnis descriptio ad illustrandum Lucil. plurimum potest.

v. 203) *tantos* Codicis Flor. ad elegantiam, nisi fallor, inventum est, ut Wakef. ad Lucret. II, 2. *vastos. mirari* interpretor: cupide rei eventum expectare. sic enim accuratius dicas, quam Donat. ad Terent. Andr. IV, 1, 11. *Mirror veteres cum unde pro nescio ponebant.* neque solum cum *unde* aut aliis relativis sic ponunt, sed etiam in aliis iuncturis. cf. Lucan. II, 27. VI, 454. Sil. IV, 692. Similiter hunc locum tractat Ovid. Metam. V, 352 sqq.

v. 205) Id Claudianus plane descripsit in illa Ditis querela L. I. de raptu Proserpinae. SCAL.

v. 206) *Vertat in occulto.* Ita legendum una voce, non ut in vulgatis, duabus in *occulto*. Quum Tartara sint occulta, ne pro illis coelum, quod est in occultum petat. SCAL.

Ibid.) Tantum premit omnia dextra. Lege:

tantum premit omnia tetra

Congeries operis saxorum. et putris arena.

Est ἐπιφοῦρημα. Premit autem καλύπτει; ut canitiem galéa premimus. Varro:

*Capitis corona fasciis tiligneis
Faciem labore flatili viridis premit.*

Mox sequentia ita distingue:

*Quas nec sponte sua faciunt, nec corporis ulli
Sustentata eadem robustis viribus omnis
Exigitur; vertit vasa intera vortice saevo.*

Quae tamen, inquit, non fiunt αὐτομάτως, nec eadem operis congeries et putris arena foras exigitur ullius corporis viribus sustentata, hoc est, suis ipsa nitens viribus; nec suo impetu vertit vasa intera saevo vortice, sed spiritus vi, omnia impellentis, hoc facit; ait enim:

nullus

Impetus est illi, qua spiritus imperat, audit.

SCAL. Nos ope Cod. Flor. qui *tremis* praehuit atque *omniaque extra* non dubium est, quin locum sanaverimus, *operit* pro *operis* scribentes, et distinctione locum iuvantes.

v. 208) *Corporis ulli*. Ἀρχαϊσμός, *ulli* pro *ullius*, ut grammatici noutrius generis. — Sine dubio illud *cadunt* pro *eadem* positum est. SCAL. *Veniunt* ex Cod. Flor. *damus*. quamquam *faciunt* rell. Codd. lectio non minus placet; sed est aliquid huius Cod. auctoritati tribuendum. si quid erat corrigendum, non debebat Wernsd. *saliunt* proponere; multo enim verisimilius *fugiant* pro *faciunt*; *volitant* pro *veniunt* invenias, quod utrumque usurpatum est. sed ne quid mutes, Ovid. vetat Amor. II, 9, 37.

Veniunt iam sponte sagittas.

sic Art. Am. I, 239. *risus veniunt*; 661. *lacrimae*; *plantas* autem *venire* seu *provenire* vulgo dicimus. *ulli* autem omuino cum Scal. et Cod. 3. et 2. retinendum est. *ullis robustis viribus* nimis ineptum est; praesertim in hoc verborum ordine. neque *robusti* Wernsd. placere potest, quod sic discerpi a *corpore* suo, oratio vetat; ne sustentantur quidem illae res a robusto corpore. nemo robustum ventum sensit. Atque ut hic *ulli* ereptum eunt, sic *illi* Ciceroni Philipp. II, 31. Cod. Vaticanus auctoritate fultum demendum non

erat. Neque Catullus ita scribere reformidavit XVII, quem Codd. vestigia sequens sic restituito:

Quoius quum floridissimo nupta flore puella
 Sit puella tenellulo delicatior haedo,
 Asservanda nigerrimis diligentior uvis;
 Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni.

Genitivum in eadem iunctura habes apud eundem LXXIII, 1.

Gallus habet fratres, quorum est lepidissima coniux
 Alterius, lepidus filius alterius.

Si tamen ulli non pateris, pone, me renuente: corpore in ullo.

v. 210) *Vertit vasa vitrea*. Ita habet melior pars antiquitus excusorum. Alii *vasa omnia*. Ego puto ex *vasa vitrea* faciendum *vasa intera*. *Vasa*, ut Medici, ἀγγύια, in corpore humano. *Intera* dictum ut *infera*. Cato: *infer, superque vicinus*; hoc est, infernas, supernas. De *vasibus* etiam infra:

Quodsi forte cavis cunctatus vasibus haesit.

SCAL. Hic versus totus ex Cod. Florent. est. quo recepto simul priores versus ab omni correctione vindicantur. Reliquorum etiam Codd. lectionem ex hac vera scriptura ortam esse, apparet; atque Helmstadiensem quidem prorsus cum ea conspirare, rite disiunctis coniunctisque literis; longissime recedere Cod. 2. quamquam hic minus quam alibi librarius ausus est.

v. 211) Lege singulariter, *i. d. c. rotat, volvitque*; est enim semper congeries operum. SCAL. *Collecta* Cod. Flor. habet; quod recepi. Ad Lucret. hic etiam orationem conformat, VI, 693.

Ne dubites quin haec animae turbida vis sit.

et v. 200.

*Semina convolvunt e nubibus, atque ita cogunt
 Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus.*

Iustinus IV, 1, 4. Optimus totius descriptionis interpret est.

v. 212) Non expungam lectionem, quam habent veteres editiones: *nec causa, expectata riunt incendia montis*. Quae constructio est, ut *nec mora*; sensus vero, ut, causa non est, quin etc. *Expectata incendia, στυγὰ καὶ πρόθεσμα*. Contra superius dixit: *Atque inopinatos referunt procul edita cursus*. Ait ex-

spectari tempestatem Aetnae, hoc est, praesentiri ab incolis; quum post longum fremitum montis tandem subsequi necesse sit eruptionem ignis, ut post longos ventos terrae motum. Quod et mari solet accidere. Prius enim auditur incertum murmur, quod Graeci vocant *κολόκυμα*, hoc est, surdum fluctum; postea omnia ventis, omnia turbinibus sunt anxia. Praesentiri tempestatem Aetnae ab incolis Strabo, Aristoteles et plerique alii testantur. Hodie vero nihil tale, utpote quum maior pars montis refrixerit. Non est recentius incendium memoria nostra, illo memorando, quod accidit anno MDXXXVII horrendo et miserabili spectaculo, non sine magno tonitruum fragore. Maxima Calabriae pars nigro cinere et adusto operta. Duo pagi in ipso monte combusti, Mompiler et Licolosi. Hodie Aetna a Siculis ipsis vulgo vocatur *Mongibello*, corrupto nomine ex Mulciber, ut et una ex Aeolidibus vocatur hodieque *Vulcanus*, ab incendio, quod procedit ex ea. SCAL. Cod. Flor. *Haec causae expectanda terunt incendia montis*. Recte, modo pro *causae* scribas *causa*. Nam, etiamsi verum est, indicia incendiorum et antiquitus fuisse et hodie observari; non tamen id nunc agitur, ut doceamur, sed uno ventorum accessu furere montem, affirmat; atque hoc est: *haec causa expectanda, otia terere* Lucan. habet II, 487.

v. 213) *Spiritus inflati nomen*. Scribimus:

Spiritus inflat enim, momen languentibus aër.

Scriptum enim auguror fuisse: *Spiritus inflat. n.* quod ita fere semper in membranis *enim* scribatur; momen etiam legitur apud Lucretium et Manilium. SCAL. Codd. lectio per se optime habet; definitio est venti et aeris ut illa apud Lucret. VI, 685.

Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aer.

Sed seriem versuum vide:

Haec causa expectanda; terunt incendia montis, —

Spiritus inflatis nomen, languentibus aer.

Nam prope nequidquam par est violentia semper.

Quid inde facias? quosque terant incendia, expectamus audire, et definitio affertur: spiritus nomen est inflatis — scil. incendiis. nam quid aliud ex versu superiori suppleas? At fortasse temere huc delata haec definitio, non omittenda, sed suo loco reddenda est?

Nusquam illam intrudas, quin langueat, hic autem desideres ver-
sum qui priorem fulciat, proximum coniungat. Itaque recte eum
corrige vult Scal. Sed aperi, quid eius correctio effecerit. Ruunt,
inquit, incendia expectata, nam spiritus inflat. Hincine ex-
spectata ruunt? *Quum terrae motus futurus est*, ait Senec. N. Q.
VI, 12., *praecedat aëris tranquillitas et quies; videlicet, quia vis
spiritus, quae concitare ventos solet, in inferna sede detinetur.* Et
idem omnes docent. Neque tamen quia tranquillitas aëris est,
inde incendia expectes. Sed concedamus hoc esse indicium; quid
addat, contemplare: *momen languentibus aër.* nego ac pernego.
nunquam aër impellit. Hoc, dicit Senec. N. Q. V, 6. *interest
inter aëra et ventum, quod inter lacum et flumen.* Et si aër mo-
menta adiiciat, semper vigebit. quando enim *sine aëre* est? ergo
non expectatur; quia nunquam non instat. Ingeniosa prorsus
Goralli lectio est:

Spiritus inflatis momen, languentibus aër.

Quasi illud Ovidianum usurparit: *Lenis alit flammam, grandior
aura necat;* sic languentibus aërem procuravit. Et tamen omnia
Scaligeri acumini debemus; qui *momen* et hic et infra Lucilio,
neque semel Manilio verissime restituit; sed non audacter pro-
gressus erat in via iam iam ad finem ductura. Monuimus iam supra,
quod per se quisque sentit, inchoatam prioris versus sententiam
hoc demum versu rotundam fieri et teretem; ita quidem:

terunt incendia montis,

Spiritus ut flatu momen languentibus addat.

ut et in toties confunduntur, ut non tam mutatio, quam felicior
lectio nominari debeat. *addat* autem pro *aër* in hac carminis de-
pravatione nemini, spero, audaciae nomine notabitur. Et quid
porro, si audax est? Debet veritatem audacia. Atque *momenta
addere* vel in prosaria oratione dicimus. Liv. XXVII, 45. *Eo ipsos,
quantumcunque virium momentum addiderint, rem omnem inclina-
turos*, afferente Oudend. ad Lucan. V, 339.

An vos momenta putatis

Ulla dedisse mihi?

ct IV, 2.

*Mortem saevus agit, non multa caede nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum.*

VII, 558.

*Agrina circum**It vagus atque ignes animis flagrantibus addit.*

Ovid. Met. XI, 285.

*Adiicis huic animo momenta potentia, clarum**Nomen avumque Iovem.**subdoro flatum Manil. dixit I, 154.*

v. 214) Paruimus Cod. Flor., quocum leviter errantes H. et 3. conspirant; *par* autem recte exhibent; nam in Flor. vitiose *pars* scribitur. Veram lectionem esse, non multis demonstrandum est. Wernsd. fortasse lectio verbo refutanda: *Non propera est igni par et violentia semper. Nam non erat delendum. Est enim propera violentia et velox ingenium. Aut igitur non legentis ratio pugnabit cum vs. sq. aut nam efficiet, ut eadem sententia bis iteretur; illud autem: Verum opus auxilium est, nusquam habet, quo referatur. Suspiscabar aliquando, versum 218., qui in fine paginae legebatur in ant. Cod. supra omissum ubique adscriptam, hoc ordine recipiendum esse:*

*Spiritus ut flatu momen languentibus addat;**Hinc princeps magnasque qui sub duce militat ignis.**Nam prope nequidquam par est violentia semper.*

v. 215) *Igni pro illi scribere si voles, non magnopere pugnabo. supervacaneum esse iudico; facile enim ex incendiis hanc vocem elicimus, et usitata est Lucilio numeri mutatio. cf. quae notat in re simili Lachm. ad Prop. IV, 3, [III, 4] 13.*

v. 216) *Corpore; lege, Corpora; verum ad corpora pellenda eget externo auxilio. Quod vero ait: qua spiritus imperat, audit; persistit in metaphora militari, qua infra usus est: Nunc princeps, magnusque etc. SCAL. Corpora etiam Cod. Flor. auxilium ex Codd. consensu (de Flor. non liquet) restitui.*

v. 217) *audit omnes Codd. et edd. habent; audit scribens paene invitus Cod. Flor. obtemperavi; sed minime correctionis indolem lectio prae se ferre videbatur. idem in vs. sequenti faciendum erat, cuius vulgata, Codd. concinentibus: sub hoc duce militat ignis. multo suavior est; si tamen vere hunc versum post*

K

v. 213. reieci, vide, quam egregie se haec lectio tueatur; quae non levis commendatio illius transpositionis est. *Militare similiter usurparant Propert. V, [IV] 6, 39.*

Vince mari, iam terra tua est, tibi militat arcus

Et favet ex humeris hoc onus omne meis.

Reposian. Concup. Mart. et Ven. 2.

Ipsa Venus, cui flamma potens, cui militat ardor.

Appul. Met. p. 9. ed. Oudend. *Prima stipendia Veneri militabant. Auctoritatem Senec. etiam hic sequitur, N. Q. VI, 21. et II, 23. Si igni permittis ire, quo velit, coelum — repetit, ubi est aliquid, quod eum ferat, et ab impetu suo avertat, id non natura, sed servitus eius est. Hinc princeps ex Cod. Flor. recepi.*

v. 219) *Huic quoniam.* Quoniam huic operi praesto favet natura et soli et venti; soli, quod, quum sit *σηραγγῶδες*, facile ventum admittit, aut potius concipit; venti, quod ignem moveat. SCAL. Nunc in Codd. H. 3. et Flor. est. Apparet, particulas similes versus suos mutasse. Nam *Huic*, id est *hinc* in Cod. 2. est, in priore versu *Nunc* in omnibus.

v. 220) *Una ipsi venti.* Lege: *Una ipsi et venti*; ipsius soli et venti. Nam hic quoque *ipsi* pro *ipsius*. SCAL. Unde Cod. Flor. praebuit. Verissime. sic demum licet, recte distinctis, ut feci, versibus, sensum impeditissimum expedire nullo negotio.

v. 221) Vulgo:

Quum subito cohibetur, inest quae causa silenti.

Versum reponere, ut N. Heins. ex veteri Cod. (puta Flor.) affert ad Claudian. R. Pr. I, 170., non haesimus. fons erroris apertus est: *cohibeturis* scriptum erat, una transposita littera, et apice fluctuante.

v. 223) *Digna laborantis. Laboratis.* SCAL. Hic eidem errori Cod. Flor. obnoxius est, cui saepe unus obstitit, quando reliqui omnes r pro n dabant, veluti supra *verti* pro *venti*. *Pigra* enim non *Digna* scribit. *Laborantis* H. 3. et Flor. tuentur.

v. 224) *Miranda fuere.* Lege *favere*. *Favere oculis rem*, eleganter, nisi fallor, *ἐναρτιζοῦσθαι ὀν δαίματι*. In illarum contemplatione nimis indulgere oculis. Tamen in membrana qua-

dam, ubi erant excerpta quaedam ex poëtis, legi: *oculis miranda videre*. Sed importune haec in hunc locum irrepsisse infra docebimus ex eadem membrana. SCAL. *Tueri* Codicis Flor., cui rell. Codd. lectio *fuere* proxime accedit, praetuli.

v. 225) *Effusis* pro tertio casu explicat Wernsd.; repudiatis Gorall. *effusis* (quidni *effossis*?) *oculis*. Sed fieri non potest; accusativum oratio postulat:

Nec effusos in humum grave pascere corpus.

ut v. 227. *Sacra* perurgentem etc. Illustrat Manil. IV, 897.

Proiecta iacent animalia muta

In terra, vel morsa vadis, vel in aëre pendent;

Et quia consilium non est, et lingua remissa,

Omnibus una quies, venter somnusque per artes.

Lucr. III, 114.

Effusumque iacet sine sensu corpus onustum.

Stat. Theb. IV, 433.

Effusam pharetra cervicem excepta quiescit.

Sil. I, 308.

Effusisque simul praerupto ex aggere membris

Victori moriens tepesfactam rettulit hastam.

Virg. Aen. IX, 316.

Passim somno vinoque per herbam

Corpora fusa vident.

Si *effusis* velles retinere, explicares: *pascere corpus robus in humum effusis*, i. e. glandibus, ut Claudian. R. Pr. III, 42.

Pecudum si more pererrant

Avia, si frangunt, communia pabula, glandes.

v. 226) *Nosse fidem rerum* cum Cod. Flor. Eliensi et Medic. (intellige excerpta N. Heinsii) quos protulit Burm. ad Ovid. Met. I, 85. et Burm. Sec. ad Anthol. II. pag. 264., iure scribimus. Ita Claudian. Epigr. XVIII, 5.

Iura poli, rerumque fidem, legesque Deorum

Ecce Syraeosius transtulit arte senex.

Rerum fidem nosse idem est, quod *rerum miracula solvere* Manil. dixit; id est, naturalem rerum causam et rationem invenire, reiecta antiquitatis superstitione.

v. 227) *Sacra perurgentem. Sacra τὰ ἄδντα. Persius:*

Ad sacra vatam carmen adfero nostrum.

Propertius:

et Coi sacra Philetæ.

Perurgere est perrumpere turbam, ἀσπίζεσθαι, pro quo Horatius dixit: *facienda iniuria tardis*. In Epistola Epicuri non absimile, τρικύλιστός εἰμι ἀπωθείσθαι. Plautus melius: *cubitis depulsa de via*. — *Capitique attollere coelum*. Simile esset: *caput inter nubila condit*. Sed potius legendum puto, *caput atque attollere coelo*. Contrarium illi quod dixerat, *nos effusis in humum grave pascere corpus*. καὶ οὐ ταπεινὰ φρονούντας. Virgilius: *qua te quoque possis tollere humo*. Sed, nisi fallor, alius argutior sensus ex hac depravata lectione eruentus est:

Sacra perurgentem captivi tollere coelum;

ut dicat quod Lucretius de Epicuro, qui primus ausus est coelo contra attollere oculos, et religionem hominum animis demere. Nam tantum admirari pecudum ait esse, sed diligenti perquisitione coelestium rerum causas perscrutari, hoc plane esse coelum ipsum sibi captivum facere, et illa sacra, hoc est, inanem reverentiam, qua stupemus ad rerum coelestium spectaculum, tollere et eximere ex animis hominum. Hæc, nisi fallimur, egregia coniectura est. SCAL. Recte emendatum Scaligero. et firmandæ coniecturæ fecerint ista Manil. II.

Quis neget esse nefas, invitum prendere mundum

Et velut in semet captum deducere in orbem.

Item l. IV.

pervidimus omnem

Et capto potimur mundo.

Hæc monuit amicissimus Ianus Douza filius. LINDENBR. Iure exultat Scal. Quis enim acutiorem emendationem viderit? Atque reciperem; sed hæc me loca retinent. Propert. III, 21, [II, 17] 7.

Rursus et obiectum flotis capiti esse tumulum.

Virg. Aen. IV, 481.

*Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet.*

Ovid. Fast. I, 305.

*Admovere oculis distantia sidera nostris
Aetheraque ingenio supposuisse suo.*

Aliam viam ingressus est Codicis Flor. corrector: *Ingenium sacrare caputque attollere coelo*, ita enim Burm. ad Met. Ovid. I, 85. eum Cod. scribere ait.

v. 228) *Cur magno talia mundo.* In excerptis Poëtarum, quae in membranis inveni, et de quibus paullo ante memini, longe aliter concepta est lectio. Nam et aliter et alio ordine:

*Scire quot et quae sint magno natalia mundo
Principia, et rerum dubias exquirere causas.*

Nam illud, *Nosse fidem rebus, ὑπονοθεύσει* adeo, ut semper mihi non leviter suspectum fuerit. Quare totus ita legendus:

*Scire quot et quae sint magno natalia mundo
Principia, et rerum dubias exquirere causas,
Sacra perurgentem captivi tollere coeli.
Cur non occasus metuunt aë secula pergunt,
Et firma aeterno religata est machina mundo.*

Cur, inquit, secula aeterna sint, nec intereant. SCAL. Cod. Flor: *fatalia* praebens, cur hic audiendus non fuerit, res ipsa docet. Neque Scal. versuum transpositio accipi potest. Primum ob eam ipsam causam, quia in *Excerptis* aliter leguntur. Deinde quia oratio non patitur. *Nosse fidem rerum* tanquam generalis sententia, cuius species sequuntur, non potest in finem relegari; neque melius altera illius sententiae pars: *rerum dubias exquirere — tollere coeli* quaestiones de rerum natura medias dissipat. Denique Lucilium Epicureum aeternitatem naturae ponere, quam hic nacti sumus, non convenit. *An secula recte* Gorall. pro *ad* scripsit, quod recepi. *Vinclo* ex Cod. Flor. est, quo carere non possumus. Expressit Manil. III, 55. similis oratio est ibid. II, 807. et Lucan. I, 79. *Principia* non, ut reliqui interpretes, cum priore versu coniunxi, sed cum suo, quo magnopere, oratio adiuvatur, nova sententia aucta; Aristot. de Coelo c. X fin: *γενόμενον μὲν οὖν ἅπαντες εἶναι φασιν, ἀλλὰ γενόμενον οἱ μὲν αἰδίον, οἱ δὲ φθαρτόν. — εἰσὶ γὰρ τινες, οἷς ἐνδέχασθαι δοκεῖ καὶ ἀγέννητόν τι ὄν φθαρῆναι, καὶ γενόμενον ἀφθαρτὸν διατελεῖν, ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ.*

ἐκεί γάρ φησι τὸν οὐρανὸν γενέσθαι μὲν, οὐ μὴν φθαρτὸν, ἀλλ' ἔσσεσθαι γὰρ τὸν λοιπὸν ἕσι χρόνον. Similiter Manil. locutus est I, 122.

*Quam sive ex nullis repetentem semina rebas
Natali quoque egere placet, semperque fuisse,
Et fore principio pariter fatoque carentem.*

Uterque Lucret. ante oculos habuit, V, 1210.

*Tentat enim mentem dubiam rationis egestas!
Ecquaenam mundi fuerit genitalis origo,
Et simul equae sit finis, quoad moenia mundi
Hunc tanti possint motus perferre laborem;
An divinitus aeterna donata salute,
Immensi validas aevi contemnere vires.*

v. 233) *Annus ille monst.* Legendum fortasse, *annuus in limam et quae certo etc.* Limam enim, hoc est, obliquum ut veteres loquebantur, esse signiferum omnes sciunt, qui litteras humaniores colunt. Propterea et *obstitus* vocatur Lunae cursus ab Appuleio, de Daemonio Socratis: *alienae lucis indigo, denso corpore, seu laevi, cum quodam speculo radios solis obstiti et adversi usurpat;* et infra: *pro situ et flexu et obstito circulorum.* Sed hodie duo illi loci, in vulgatis Appuleii codicibus, corrupte leguntur. Atque haec quidem coniectura nostra; quae quum sit iuris arbitrarii, legitimo et ordinario iuri, hoc est, Scriptorum Codicum auctoritati praeferenda non est. Habet igitur membrana excerptorum:

*Solis scire modum, et quanto minor orbita Luna est.
Haec brevior cur bis senos cito pervolet axes,
Annus ille mest.*

Cuius lectionis rationem qui non capiat, ego illum quid sit ratio nescire putabo. Orbita Luna est linea ἐκλειπτική. Ea Tarentina voce a Veteribus Latinis dicebatur *Circulus manacus*. Vitruv. Lib. IX, *Circinatio circuli menstrui agatur, qui Manacus dicitur.* Nam ut βαρδιαῖοι Illyrienses a Latinis dicti *Bardiaci*, sic μητῆαῖος *maniacus* et *manacus*. Unde *Almanac* dixerunt Arabes Calendarium, addito, scilicet, articulo suo. Non enim, quod quibusdam persuasum audio, mera vox Arabica est, sed tantum in Arabicarum vo-

cum familiam recepta. Merito igitur sententia doctissimi viri explodenda est, qui in Vitruvio non *Manacus* sed *μηνυαῖος* legendum censet. SCAL. Fortasse rectius cum Wernsd. reliquorum Codd. lectionem: *peryolet orbis* retineamus; calamo aberrante interdum Scal. novas lectiones invitum inferre, eius notae probant. *Orbes* etiam Davisius retinet ad Cic. N. D. II, 18. sic legi affirmans in optimaē notae Msto.; *Eliensom* esse apparet ex eiusd. nota ad Eundem II, 42.

v. 234) *Sidera*, quae certo ordine currant, Gorall. *stellas* fixas, Wernsd. *planetas*; *quaeve suo careant incondita cursu* planetas Gorallus, Wernsd. *stellas* fixas interpretatur. Illud vere Wernsd. vidit. nam *errare* planetas poëtis relictum erat, hic contra Lucil. philosophorum inventa enumerat. Alterum autem Wernsd. minus bene intellexit. nam quod *incondita* vult esse non occidentia, audiendus non est; et si audiendus; occidunt omnia signa praeter Septentriones. ergo *sidera incondita*, etiamsi verba hanc explicationem admitterent, quod secus est, non sunt *signa*. denique, etiamsi cum toto coelo moventur, habent tamen *cursum suum*, ut a quibus universus annus regatur; unde Sidon. Apoll. Carm. XV.

Fixaque Signifero pariter quoque cernua ferri.

Incondita potius sunt, quorum *cursum*, ipsis proprium, nondum cognovimus; hi autem cometae sunt. Longum est, plurimas antiquorum de Cometis sententias ordine dinumerare, de quibus cf. Senec. N. Q. VII, 19 sqq. et Schaubach Geschichte der Astronomie etc. p. 481 sqq. Lucilius unum magistrum Senecam sequitur. Qui, dum in l. N. Q. VII, 19. aliorum opiniones proponit: *Quidam*, inquit, aiunt, *esse quidam, sed habere cursus suos, et post certis lustra in conspectum mortalium exire*. Hanc sententiam inde a cap. 22. ipse tanquam suam defendit. Quis sit *cursum suum*, Aristoteles brevissime docebit in Meteorol. I, 6. p. 754. οἱ γὰρ πλανώμενοι πάντες ἐν τῷ κύκλῳ ὑπολείπονται τῷ τῶν ζῳδίων κομήται δὲ πολλοὶ ὠμμένοι εἰσὶν ἔξω τοῦ κύκλου. cf. Eiusd. Problem. XVI, 17, 22. Et rursus Senec. ibid. c. 23. *Quare ergo non aliqua sint, quas in proprium iter et ab istis (puta erraticis stellis in Signifero moventibus) remotum secasserint?* et c. 25. *quare incondita videntur audi: Quid ergo miramur, Cometas, tam rarum mundi specta-*

culum, nondum teneri certis legibus? *nec initia illorum finesque notescere, quorum ex ingentibus intervallis recursus est?* Hac disputatione simul receptam Cod. Flor. lectionem defendimus: *suos servant incondita motus*. quocum H. et J. conspirant, nisi quod litera maiuscula S posita inter suo errant male omissa, iura ex va. sq. aberrantes huc transtulerunt, unde correctores fecerunt *cura*, Gorall. *cursu*, vel ideo reiiciendum, quia superior versus in *currant* exierat.

v. 235) Manil. I, 109.

*Attribuitque suas formas, sua nomina signis,
Quasque vices agerent, certa sub sorte notavit.*

v. 236) De hoc versu cf. Praef. Explicat *vices* versus praecedentis; sumtus etiam hic e Manilio est III, 241.

(*Quum tamen in quocunque dies deducitur astro,
Sex habeat supra terras, sex signa sub illis.*

v. 237) Pro *terris* Cod. Flor. *Panope* habet, quod licet falsum, vero tamen optime viam munivit. Nam Luna *coelo* nubila *terris* imbres denunciat, iam diu suspectum erat. quid enim potest frigidius esse, praesertim in hac exquisita sententiarum brevitate? vera scriptio etiam hic in medio latet inter *Panope* et *terris*. Reponere:

Nubila cur coelo Sterope denunciat imbres.

Nunc demum *coelo* suam habet et vim insignem; est enim: *Plias* quando in *coelo* seu orta est, imbres denunciat; *Steropa* pro omni *Pliadum* choro posuit, ut Ovid. Trist. I, 11, 14.

Saepe minax Steropes sidere pontus erat.

Ridiculus forem, si hoc sidus imbres minari vellem docere. sed hic etiam ad alium scriptorem liceat mihi huius loci opportunitatem convertere, cuius versus nostri similis ac diu desperatus aliquando iuvetur. est autem Grat. Cyneget. 57. ubi, uti nunc vulgo legitur, de cannabi Alabandica sic praecipit:

*Idcirco et primas linorum tangere messes
Ante vetant, quam maturis accenderit annus
Ignibus, et claro Pleias se promserit ortu.
Imbiberit, tanto despondet longius usu etc.*

Nam sequentia prorsus perverse ultimo versui adiungi, ipse videbis, loco inspecto. de iis autem quid statuam, exponere huius.

temporis non est. De versibus propositis, quid interpretes sudarint, ex ed. Burm. disce, mecum autem ita corrige:

*Idcirco et primas linorum tangere mosses
Ante vstant, quam maturis accenderit annus
Ignibus, et claro Pleias promiserit ortu
Imbriferos ventos. respondet longior usus.*

Promisserit in Cod. Thuan. est. *respondet longior orsu* in edd. antt. *langor usu* in Cod. Thuan. *accenderit est, se accenderit.*

v. 239) *ver, prima iuventa*, quod Cod. Flor. praebuit, cur vulgatae: *primaque iuventa Ver aestate perit*, longe praefendum sit, ostendit Wernsd.

v. 240) *Ver praecit aestatem*. Bene sane, sed non sane deterius membrana: *ver aestate perit*. SCAL. *Cur aestate perit* praeter Cod. Flor. etiam H. et 3. legunt. Hor. Carm. IV, 7, 9. iam Gorall. contulit.

v. 242) Ne hic demum *cometas* memorari mihi contra meam explicationem ad v. 234. moneas, meminisse te velim, illic de cursu, hic de significatione et prodigio exponi.

v. 244) *Saturni cur stella tenax*. *Tenax* est impediens, remorans, et, ut Augures loquebantur, *stella enebra*. Tibullus:

Saturni sacram me tenuisse diem.

SCAL. Recepti lectionem Cod. Flor. H. et 3. *Saturni quae stella tenax, quae* etc. Non enim facile dicas, *cur* tales partus hae stellae efficiant, nisi ad fabulas Deorum recurras, hic nihil valentes. *Quae* pronomen interrogativum est. Sensus: disces, quae Martis sit stella, quae Saturni; quarum illa tenax est etc. Quid sit *tonax* iam Wernsd. exposuit, comparans Propert. V, [IV] 1, 83. Similiter a Manil. II, 937. *Asper* et *attentus* vocatur. cf. Interpr. ad Ovid. Ibin 215 sqq.

v. 245) Inventores huius artis primi Phoenices fuere. Plin. VII, 56. Sed Tiphyn fabulantur poëtae. Valer. Flacc. I.

*Pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro
Hagniades, felix stellis qui signibus usum,
Et dedit aequoreos, coelo duce, tendere cursus.*

quod ille ex Apollonii Lib. I. sumsit:

Τίφους Ἀγνιάδης Σιφάου κάλλιπε δῆμον
 Θεοπέδων, ἐσθλὸς μὲν ὀρνόμενον προδαίηται
 Κῦμ' ἄλὸς εὐρείης, ἐσθλὸς δ' ἀνεμοῖο θυέλλας
 Καὶ πλόον ἡέλιον τε καὶ ἀστέρη τεκμήρασθαι.

LINDENBR. *Rapient nautae lintea, quum ara seu thuribulum oritur, cf. Arat. Germ. 338 sqq. Ovid. Fast. II, 453. VI, 715. pendent Cod. Flor. auctoritate nititur.*

v. 247) *Vulgo quo volet. Quo vocet Cod. Flor. omnino vera lectio est. Volant enim omnes stellae, uti corona Manil. I, 326. neque, quem locum Manil. afferunt V, 61. vocem volandi quidquam adiuvat. Efficit ille volantes i. e. vocat ille ad cursum. Nam in hoc illa vox proprie usurpatur, cf. Grat. Cyneg. 180. et alios plurimos; unum Manil. memorem V, 12.*

Hinc vocat Orion, magni pars maxima coeli.

Movere in re eadem dixit Propert. V, [IV] 1, 85.

Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis.

Ibid.) Quo Sirius incubet. Suspecta lectio, quum aliter habeant veteres editiones, quae habent: quo staeius incubet index. Fortasse pro socius incubet; nam socius deterius. Notissimum enim eius sideris ortu maximas tempestates cieri. Membrana habebat quo Lucifer incubet. SCAL. Sirius et edd. multae habent, et Cod. Flor. recte; et iniuria locum notarunt interpretes; male etiam Wernsd. ardens suadet vel Indis pro index. Omnem scrupulum eximet Manil. I, 408. Loquitur de Sirio:

Hanc qui surgentem, primo quum redditur ortu,

Montis ab excelso speculantur vertice Tauri,

Proventus frugum varios et tempora discunt,

Quaeque valetudo veniat, concordia quanta;

Bella facit, pacemque refert, varietque revertens

Sic movet, ut vidit mundum, vultuque gubernat.

videsne, cur Index vocetur, et quid sit excubare? nam hoc pro vulgata incubare hic etiam optime Cod. Flor. praebuit. Sic excubat Cerberus apud Tibull. I, 3, 72. cui compara Stat. Theb. VIII, 97. Centum corporis excubiis Argus Io servat Claudian. Cons. Stilic. I, 311. excubat ambitio Ibid. II, 114. excubat ipse moderator caerulus undae Stat. Silv. II, 2, 21. Omnium tamen audacissimus idem Stat. in Theb. IX, 194. de leone interfecto:

*Damnaque commemorant, seu iam sub culmine fixus
Excubat, antiquo seu pendet gloria laevo.*

v. 248) Douza filius legit *toto miracula*. LINDENBR. tanto recte tuetur Wernsd. non tamen exhaustit sensum. non solum enim multitudinem rerum inquirendarum significat, sed excusationem poëtae habet, quod ex tanta miraculorum multitudine tam pauca attigerit. *iacent*, ut vs. sq. probat, non est, ut vult Wernsd. et lingua vetat, *oculis animisque sunt proposita*, sed incurata et projecta, nondum digesta sunt.

v. 249) *Non digesta pati*. Hic non negatio repetenda est. Quod et alias quoque fieri solet; ut *non solum feci* saepius dicebant pro *non solum non feci*. Non pati, inquit, indigesta, nec incondita acervo rerum, sed disponere et digerere certa sede et nota. SCAL. Neque Scal. concedere possum, neque Wernsd. probat *digerere* esse pro disiicere vel ab Lucan. VI, 88. positum vel a quoquam scriptore. Ego *congesta*, licet haesitabundus, ex Cod. Flor. scripsi. Nam: *nec acervo condita rerum videtur* sui contrarium, velut *disiecta* vel *discerpta* in priori membro disiunctionis desiderare; quum contra *nec congesta*, *nec coacervata* molestum sit, quantumvis multi probatum iverint, *nec — nec non semper* disiungere. ideo tamen *congesta* recipiendum tanquam verum esse putabam, quia, quem interpolatorem Codicis agnovisse mihi videor, ingeniosior fuit, quam qui *disiecta* non viderit.

Ibid.) *Malo incondita*, hoc est, indigesta, καὶ εἰς τὴν ὑπεροχὴν, ut loquitur Aristophanes. SCAL. *Divini*, quod ex Cod. 2. edd. antt. obtinent, fortasse etiam Cod. Flor. habebit; in Bith. nihil notatum esse inveno, *divini* praebente.

v. 251) Huc referuntur omnes infinitivi, qui incipiunt post *digna laboratis*. Nosse cursura lunae, discere astrorum cursus et similia, *divini est animi*. Quod qui statim non deprehenderunt, *versiculum Non oculis solum* etc. et sequentem *Mors nec offusis*, importuno loco inseruerunt post *Digna laboratis* etc. quum post istum: *Divini est animi* etc. statim sequerentur. Ita ergo ex auctoritate illius membranae, itemque sententia sic postulante, legendi sunt hi versus:

*Non digesta pati, nec aervo condita rerum,
Sed manifesta notis certa disponere sede
Singula, divini est animi ac incunda voluptas;
Non oculis solum pecudum miranda videre
More; nec effusis in humum grave pascere corpus.*

Divini animi est, inquit, haec et contemplari et certa sede disponere; non autem more pecudum tantum ad ea stupere, nec oculis effusis in humum terrestria tantum sapere. Hanc veram lectionem esse, itemque hanc legitimam horum versuum sedem, nemo est paullo doctior modo et aequior, qui facile mihi non concesserit. SCAL.

v. 252) *Sed prior haec hominum.* Ex istis colligitur, superiora, per conversionem, immo per confessionem dici. Fateor, inquit, rerum coelestium rationes scire, divini esse animi. Sed coelum cognoscere, terram vero ignorare extremae dementiae esse iudico. Hinc ergo nos miraculum hoc Aetnae considerandum latenter inducit. SCAL. Codd. H. et 3. *hominis* servant, *omni* ex Cod. Flor. dedi. *hominis* enim, sprete ad v. 228. transpositione Scaligeri, nihil nunc sensum iuvat; quum contra *omni* hucusque operose collaudata fastidiat prae terrarum cognitione. cf. Grat. Cyneg. 151 et 495.

v. 253) *Quasque in ea miranda,* quod Flor. suppeditat quis recipere dubitaverit prae vulgata *Et quas nunc* etc. ex qua, non monito lectore *Et quas huius* Gorall. fecit. Atque unde illud otiosum et odiosum *nunc* ortum, deinde adversus complementum *Et sit* additum, apertissimum est. Satis frequenter hoc particulae *nunc* fulcro Lucilii sensum pessumdederunt.

v. 254) Nescio, an iusto facilior fuerim, admittens pro Codd. lectione *magna*, Goralli vel alius cuiusdam emendationem: *Haec nobis magis affinis.*

v. 255) *Nam quas mortales spes est.* Et hic non leviter grassata est correctorum licentia, quum mentem Poetae non assequerentur. In veteribus excusis recte legitur: *Nam, quas mortalis species, quas amentia maior,* etc. Illud, *quas mortalis species,* dictum quomodo illud: *nam, quas tua humanitas, illi parees.* Dictum *εἰς εὐτελεισμόν.* Nam, inquit, si humanam speciem con-

templemur, quae nihil coeleste habet; quae maior insania, quam in coelestibus illis remotis immorari, haec vero propiora negligere? *Species τὸ σῆμα*. Significat vero tantum id quod extra apparet. Ergo, ut dixi, εἰς ἐκπαυλισμὸν dictum est. SCAL. Legi posset, *nam quae, mortales, res est*, ut saepissime apud Comicos. LINDENBR. Pulchre videbat Scal., si retineremus: *Nam quae, mortales, spes est* (Cod. H. et 3. lectionem), *urceum exire: quae spes est — tantum opus ante pedes segnem perdere*. Ne de electione haereamus, Flor. Cod. efficit, cuius verba, ut suppeditat, in textu habes. Viam erroris etiam hic Cod. H. patefacit.

v. 256) Aliud insigne Cod. Flor. beneficium, *Divos pro reliquorum: velle praebentis; quod ex Divorum glossemate stelle defluxisse, apparet*.

v. 257) Auctor vetus apud Donatum in Adelpbos: *quod ante pedes est, non videt; coeli scrutatur plagas*. Quod ioculariter dictum fuit in Thaletem; qui quum siderum cursum contemplaretur, in puteum decidit. Diogenes Laertius: *Σὺ γὰρ τοῦ οὐρανοῦ οἶσι γνώσσοθαι*; Nec longe ab his abit illud Minucii Felicis, in Octavio: *Desinite coeli plagas et mundi fata et secreta rimari, satis est pro pedibus adspicere*. LINDENBR. Pleniores iam illos Ennii versus nos in Cic. Rep. legimus I, 18. quem etiam imitatur Prop. III, 21, [II, 27] 1.

Et vos incertam, mortales, funeris horam

Quaeritis, et qua sit mors aditura via?

Quaeritis et coslo, Phoenicum inventa, sereno etc.

et Manil. IV, 609.

Victorque ad sidera mittit

Sidereos oculos, propiusque adspectat Olympum,

Inquiritque Iovem.

Longe audacia omnes anteit Stat. Silv. III, 2, 13. dum, quamquam excusans Nereides etiam sideribus addit. Recte mihi pro Codd. lectione: *segnes*, vel: *segne est scripsisse videor: segnem*, quod ad mortali et errantem pertineat. si *segne est* tibi ereptum nolis, interrogatione post v. 256. finita, hic nova sententia incipienda erit; quod quam omnem orationis vim penitus frangat, ipse vides.

v. 258) *Premimurque labantes.* Malo, quod illa membrana habebat, *preminurque labore*; quamquam, ut ex illa lectione leviuscule depravata veritas indaganda sit, statim ex sequentibus patebit. SCAL.

v. 259) Non minimae laudis fuerit, ex eadem membrana obscurum et intricatum huius loci sensum expedire. Ex ea igitur ita legimus:

*Torquemur miseri in parvis, premimurque, labores
Ut sese pretio redimant, verumque professae
(Turpe!) silent artes viles inopesque relictas.*

Hoc unum, inquit, satagimus, ut quum ex laboribus nostris tantum proventus et fructus refecerimus, quantum sumtus fecimus, postea ipsi labores et artes a nobis negligantur. Puta, agricolae qui agros colendos conducunt, seu redimunt, tantisper torquent se, dum tantum percipiant ex agro, quanti locatus fuit eis a domino; et hoc solum considerant, possitne fructus pro impensa ac labore redire. Quod si modo adsequuntur, omnia reliqua perfunctorie agunt. Quum ergo ex proventu culturae labores reficiunt, hoc est, ut loquitur Cicero, quando non certatur impensis fructibus vinearum; id nimirum est, quod ille vocat labores sese redimere pretio. Illud vero *turpe*, quod vix poteramus legere in illa membrana, dicendum *διὰ μέσου*. Propert. IV, 6, 45.

*Et nimium remis audent (proh turpe!) Latinis
Principe te, fluctus regia vela pati.*

SCAL. Ex proverbio fecit, quum membranam illam mendacio Scal. finxisse Gorall. insimulat. Hoc tamen non negem, tantum sibi tribuisse illum virum, ut in minutis ab auctoritate Codicis, si ita visum esset, recederet. Sed malui omnia, tanquam in re ancipiti, ut ipse proposuit, ita dare, ne forte in errorem gravio-rem delaberer, dum verum quaero.

Ibid.) Verum professas artes vocat, quae pro sumtu et impensa pecuniam reficiunt domino. Sic elegantissime Pindarus in solatium sumtuum et impensarum Olympionicis reddi καλλίστην λυτήριον δαπανῶν, quum gloria illos ex victoria sequitur. Nam τεθριπποτροφία non sine maximis sumtibus fuit, ut sciunt omnes, qui Graecos auctores, praesertim Aristophanem legerunt. Sic

ergo τὸ λυσιτελές ab ea ratione Graeci dixerunt; nimirum quod sumtum aequat proventu fructus. Id enim ita Stoici veteres ἐτυμολογοῦσι, nempe ὅτι λύει τὸ τελούμενον εἰς αὐτὸ, ὥστε τὴν ἀντικατάλλαξιν τὴν ἐκ τῆς πραγματείας ὑπεραίρειν τῇ ὠφελείᾳ. Et Bias recte dixit, ἐκ λυσιτελῶν εὐτελῶν, hoc est, ut ego adludens interpretor, *ex utilibus vilibus*; non ut Plinius, *ex bonis malis*. Sed puto, haec mens poëtae: torquemur in agrò exercendo, luci cupiditate; artes vero, quae verum profitentur, id est, Philosophia, iacent et negliguntur. Haec est vera interpretatio. SCAL.

v. 261) Ante hunc versum interiiciendi tres isti versiculi, qui infra alieno loco positi erant:

Torquentur flamma terrae, ferroque domantur.

Scrutamur terras, evertimus omne profundum,

Semen ut argenti quaeratur, ut aurea vena.

Ex quibus cognoscis non solum loco suo motos, sed etiam inter se transpositos fuisse hos versiculos. Quantum autem tenebrarum offuderint ei loco, in quem irrepserant, mox ex sequentibus apparebit. SCAL. De his versibus infra videbimus ad vs. 270.

Ibid.) Supra: festinantis opus. Horatius: deproperare coronas. SCAL.

v. 262) *Callent rure manus. Theocritus:*

μικέλη τετυλωμένος ἐνδοθι χεῖρας.

SCAL.

Ibid.) Glebarum usu experiuntur. Inepta lectio et ὑπολόγιος. In veteribus excusis nescio quid κίβδηλον legitur:

Glebarum experimur usu.

Quod quid monstri sit, nescio. In membrana illa: *glebarum expellimur usu*, quod quam proxime accedit ad excusorum veterum lectionem; hoc est, nimia agricolatione, nimioque opere rustico sordescimus, ut a quovis expellamur et explodamur. SCAL. Cum Scal. membrana H. et 3. faciunt. Cum Cod. Flor. *glebarum expendimus usum* legimus. Non inficeta Wernsd. coniectura est: *glebarum expenditur usus*.

v. 263) *Segetisque — vitis. Ex Cod. Flor. dedimus; ita etiam edd. quaedam legunt. cf. Bentl. ad Hor. Carm. II, 16, 18. Verba tam Virgil. in Georg. I, 53. ipsum reddunt, ut quin hunc teti-*

gerit, dubitari nequest; nisi vis eum memorem esse Senec. Epist. 87. ad se scriptae, eundem locum Virg. pari modo tractantis. Ab utroque pendet Claudian. Cons. Mall. 178.

*Nosse soli vires, nemori quae commoda rupis,
Quix felix oleae tractus, quae globa faveret
Frugibus, et quales tegeter vindemia colles.*

v. 264) *Haec herbis dignissima tellus.* Nescio quid ἀφελής in hac lectione apparet. Nam quid herbae ad platanos? Sed vere et eleganter in membrana exaratum fuit, *haec hederis dignissima tellus.* Exagitat superfluum studium arborum, quae magis ad voluptatem, quam ob fructum instituebantur. In quorum numero, ut omnes sciunt, platani ad deambulationes, ederae ad sedilia et umbracula diligenter serebantur. SCAL. In hoc versu neque Cod. Florent., neque Scal. membranarum cedendum esse putabam; illi *plantas* pro *platanis*, huic *hederas* pro *herbis* porrigenti. *Platanos* aegre nobis eripi ferimus, vaga praesertim voce plantarum; et facilis erat litterarum aberratio. hederarum autem non alius soli amantes sunt, quam platani, cf. Plin. Epp. V, 6. neque possunt ab illis divelli. praesertim quum *veniant hederarum sponte sua melius*; ut ait Prop. I, 2, 10.

v. 265) *Haec diti melior pecori.* Iam coepi meis suspicionibus aliquam fidem habere, quum haec mihi suspecta lectio antea fuerit et ex veteri membrana falsi convicta. Ea habet:

Haec dura et melior pecori silvisque fidelis.

Intelligit ergo, quae pastonibus melior erat; ea enim est, quae durior et sterilior. Calles, saltus, silvas, vocabant veteres. Vide Varronem de Re Rustica. SCAL. Melior etiam quam membranarum. Scal. lectio Cod. Flor. est, quam textus habent. Valer. Flacc. IV, 100.

Pingue solum et duris regio non invida tauris.

v. 268) Proxime accedit ad Lucilium Prop. IV, 6, [III, 17] 17.

Dum modo purpureo spument mihi dolia musto.

v. 270) Huc referendi videbantur versus illi tres, quos Scal. ante v. 261. ponebat, Codd. et edd. omnes ante verum 279. habent: *Non subito pallere sono* etc. prorsus inepte. Scaligeri

autem rationem ideo non probo, quia quum poëta a minori ad maius ascendat, haec avaritiae specimina non poterant ante agriculturam collocari, quam vix quisquam per se vituperat. Contra v. 273 sqq. *Sic avidi semper, qua visum est carius istis* etc., hic demum de argento, auro, margaritis fuisse mentionem iniectam apertissime demonstrant; huc ergo retuli eo ordine, quem unice verum esse, acute Scal. vidit; sic enim se in Codd. excipiunt: *Scrutamur — Semen — Torquentur* —. Ceterum post *Sic avidi* etc. nullo modo collocari possunt, qui totius orationis epiphonema et comprehensionem continet. Plura argumenta ad hunc vs. ipsum affero. v. 272., ut in Scal. membrana est, praeferre mecum omnes vulgatae lectioni arbitror: *Quaeritur argentis semen, nunc aurea vena*. Iterum hic vides nunc inculcari. Lucret. VI, 405.

*Denique ubi argenti venas aurique sequuntur,
Terraë penitus scrutantes abdita ferro.*

Rimari et scrutari de metallis proprie dici, docet N. Heins. Claudian. Cons. Olybr. 49. — *omnes profundum evertere* (ut omnes Codd. habent) et audacius et illustrius Manil. V, 405. *oneratur terra profundo*. cf. Petron de mutat. reip. cap. 120. vs. 89 sqq.

v. 272) *Quaeritur*. Non solum alieno loco positum hunc versum, sed et ipsum corruptum esse, ante admonuimus. Ita autem in veteri membrana exaratus fuit:

Semen ut argenti quaeratur, ut aurea vena.

Elegantius sane, quam quomodo formis excusi legunt. *Argentis semen*, ut Lycophron, ἀργύρου γένος. SCAL.

v. 273) *Sic avidi semper, qua visum est carius istis.*

Impendus sibi quisque bonis est artibus illis.

vel uti Gorall. *est artibus: illas*. Quam haec falsa et depravata sint, non ante me acumen Scal. vidisse miror. Nemo omnium unquam *artibus impleri* nos iussit. Implemur quidem cibo et potu; id etiam avidius heluantes, at non artibus. nam quod *inexplabilis* nobis sciendi *capiditas* innata esse dicitur, alia res est. atque aliter longe apud Terentium est in Andr. I, 2, 17. *sivi animum ut explet suum*, ubi cf. Ruhnk. itaque bene ad Tibull. III, 3, 1.

Quid prodest coelum votis implere Neaera.

Statius Virgil. Aen. IX, 24. comparavit:

Multa deos orans oneravitque aethera votis.

aliter etiam terrae nomine nostro implentur. Nulla denique re honesta honeste implemur ipsi. At Lucilius, homo impudens, non satis habuit, si impleri nos vellet, etiam ut nobis impleamur imperat. at quali oratione:

Implendus sibi quisque bonis est artibus illis.

Vitiosum esse versum luce clarius est. Nunc mihi versum praecedentem adspice:

Sic avidi semper, qua visum est carius istis. —

Quid porro? Absolve sententiam. In medione tu cursu deficis? Ergo tam infantem esse Lucilium putabimus, cui tanquam alteri Thrasoni Gnathonici nos haesitanti succurramus? Insignis, inquam, iniuria illata poetae est. Quam sic ab eo repellimus:

Sic avidi semper qua visum est carius istis,

Implent usque sitim hisce bonis. ast artibus illis

Sunt animi fruges;

Litterarum apices sequere, ne me audaciorem dicas. Nempe faciunt, quod bonus Ovidius praecipit Rem. Am. 536.

Explenda est sitis ista tibi, qua perditus ardes.

Illae, quod Pith. etiam habet, ex falsa correctione est, ne *illis* et *istis* sese exciperent, inutili elegantiae studio. nam *ipsae* artes non animi fruges sunt, sed *ex illis* parantur, quas porro describit vs. sqq.

v. 276) *terrae natura* meliore ordine Flor. praebuit.

v. 277) *Nullum fallere opus. Οὐδὲν λαθεῖν ἡμῶς.* Ita et alibi locutus est: *nec tentat fallere pestem.* SCAL. Pronomen ad verbum *fallendi* i. e. latendi saepe omittitur: Grat. Cyneg. 243. 360. Ovid. Heroid. II, 134. III, 110. Amor. I, 8, 49. II, 19, 7. Rem. Am. 653. Manil. I, 480. Tibull. I, 2, 53. I, 8, 63. Horat. Epp. I, 16, 61. etc.

Ibid.) *Non multos cernere sacros.* Hoc sane ne Sibylla quidem intelligat. Vetus editio habet: *non multis cernere sacros* etc. Vide an legi possit: *non limis cernere sacros Aetnaei montis fremitus.* Limis cernit, qui stupet novitate rei, neque audet recto vultu ἀντιοφθαλμῶν, ut loquuntur Graeci. An legendum, non

mutos? Contemplari fremitus non mutos Aetnae, et eorum causas reddere. Puto hanc interpretationem meliorem esse. *Sacros fremitus*, ut alibi *sacros ignes*; magis ex admirantium persona, quam ex sua; ut supra: *Sacra perurgentem captivi tollere coeli*. Vult ergo nos novitate rei non percelli, quod Graeci eleganter dicunt *ξενίζομαι*. Quod bene expressit vetus poeta:

Dum stupet, ac novus est, et adhuc non novit amorem.

Hoc est, dum *ξενίζεται τῷ ἔρωτι, ἐπὶ τῷ ἔρωτι*. Hoc autem πάθος in sapientem cadere negabant Stoici: *τὸν σοφὸν οὐδὲν θαυμάζειν τῶν δοκούντων παραδόξων, οἷον χαρώνεια, καὶ ἄμπωτις, καὶ πηγαὶ θερμῶν ὑδάτων, καὶ πυρὸς ἀναφυσήματα*. Et illam Stoicorum sententiam habebat in animo ille, quum ita scribebat:

Nil admirari prope res est una Numici etc.

Item Seneca loquens de eadem re, de qua hic noster Corn. Severus: *Nihil horum sine timore miramur. Et quum timendi causa sit nescire, non est tanti scire, ne timeas*. SCAL.

v. 278) *animosque cum Cod. Flor. legimus. quamquam animisque furentis, quod H. et 3. habent, certe non minus placet.*

v. 279) Ne hunc quidem versum intelligunt, qui eum tanquam planum et facilem praeterierunt. Sed facile est, errorem, seu mendum agnoscere ex illa membrana. Nam tribus sequentibus versiculis in suam sedem restitutis et hinc exëntis, videbis ita coniungendum esse versiculum hunc cum aliis, qui proximus, post illos tres versus, succedit:

Non subito pallere sono, non credere subter

Coelestes migrasse minas ad tartara mundi.

Iam nihil planius ista lectione. Sed membrana iam nos defecerat, utpote quae tantum habet usque ad *Plenaque desecto* etc. *Coelestes minas, θεῶν μῆνιν*. Qui enim audiunt illos Aetnae fremitus, statim concipiunt in animis suis, aliquid humani maius ibi esse, etc. SCAL. Omnino dubitandum non erat de recipienda lectione Cod. Flor. aut *Tartara rumpi*. Lucem accipiet a Manil. I, 852. cui iam beneficium reddit, ipse Lucilii ope corrigendus. Loquitur de igne ubique sparso in rerum natura;

Et penetrant terras, Aetnamque imitantur Olympo.

Sic ante Bentl. legebatur. qui ex Cod. Gemblacensi:

Aetnaeque minantur Olympo

scribit. in hoc tandem Stoeberum assecclam nactus, quamquam satis stolidum praeterea viri summi obtrectatorem, qualem Goralium Scaliger habet. Nihilominus autem et contra optimi Codicis fidem et contra acerrimi iudicii criticum, licet timide, ut qui ne uti quidem Bentleii editione potuerim, standum tamen contra videtur, dum scribo:

Et penetrant terras, Aetnaeque imitantur Olympum.

Docuerat Manilius in prioribus de cometis aliisque signis in caelo, maxime de fulgure et tonitru. Iam similem ignium copiam terras quoque continere ita pergit docere, ut Aetnaeas flammam et faces fulgure et terrore ipsa coelestia signa imitari dicat. Praeter hanc rerum seriem per se satis, ut videtur, dilucidam Lucilii etiam nostro loco insignis correctioni fides accedit. Nunc demum video, illam Manil. correctionem iam Tanaqu. Fabro placuisse ad Lucret. I, 723.

v. 281) *Intendat* (non *impediat* rell. Codd.) unice veram lectionem esse, ipsa poetae verba aperiunt. in hoc enim versu vires Aetnae, i. e. materia et causae incendii, in proximo *impedimenta*, quibus quies repentina et pax oritur, perstringuntur.

v. 282) *Unde repente quies.* Totus hic locus ita legendus est:

Unde repente quies, et multo foedere pax sit;

Concrescant animi penitus; seu forte cavernae

Introitusve ipsi servent: neu terra minutis

Rara foraminibus venosis abstrahat auras.

[in ed. Antverp. *neu forte cavernae* scribitur.] Illud *concrescant animi*: animos etiam ignis infra dicet. Posset et utcumque legi, *cūr crescant animae*. Sed et prior lectio defendi potest. SCAL. Non recto multo foedere sollicitant, alii *muto*, alii *inuncto*, Goralium etiam *inito* suadens. *Multum foedus* non minus recte dicitur, quam vel *parvum foedus* Stat. Theb. VIII, 160.

Data foedere parvo

Moesta quies.

vel *aliquid foederis*: Ovid. Pont. II, 9, 63.

*Haec quoque res aliquid tecum mihi foederis affert,
Eiusdem sacri cultor uterque sumus.*

Quid, quod ipsa foedera multa apud Manilium habes? I, 252.

Et multa in cunctas dispensat foedera partes.

Sed satis graves ibi quidem causae fuerunt, cur *mutua* Bentl., corrigeret. *Reperta* Cod. Flor. debemus. Nam non *repente* (ut H. 3. et 2. habent) Aetnam silere, sed *sensim* eius furorem defervescere, omnes scimus. quid itaque dixisse attinuit, quod secus est? Et *reperta* quies quam Latine dicatur, testimonia non desiderat.

v. 283) Huc duo versus revocandi fuerunt, qui vulgo post v. 303. *Pugnat in angusto* etc. legi solent. quam male, illic unde desumpti sunt, demonstrabimus. *Etenim* pro *etiam* utroque loco scribendum fuisse, acta agerem, si vellem docere.

v. 284) *Sub terra*, praeter Cod. 2. unde *terris* in edd. venit, omnes Codd. habent.

v. 285) *Concrescant*, ut omnes Codd. scribunt, solvendum erat in *Quam crescant*. Nam non correctionem hanc esse, sed litterarum aliam dispositionem, quis nescit?

v. 286) *Introitusque* non est dubium, quin recte Scal. dederit.

v. 287) *Tenuis*, Cod. Flor. lectio, se ipsa tuetur.

v. 289) *Illinc infestus atque hinc obnoxius intus*. *Infestus* atque *obnoxius* opposita. Nam illud *pugnax*, hoc vero *cedens*: SCAL. Valedicendum inde ab hoc versu Cod. Flor. est. Neque spernendum eius hoc ultimum beneficium est, in una tantam voce non probandum; sic enim habet:

Insessa est atque hinc obnoxia ventis.

Non de Aetna esse, sed de quovis monte versus interpretandos, et v. 157 sqq. docent, ubi errare nos affirmavit, si in *summis* montis locis concipi ventos reliquasque incendiorem causas putemus, et omnis sententiae tenor. Id enim nunc agit, ut ventos subterraneos iuvari doceat aëre externo, atque in montibus hoc etiam plenius fieri; ut Lucret. VI, 467.

Nam loca declarant sursum ventosa patere,

Res ipsa et sensus, montes quum adscendimus altos.

Senec. Hippolyt. 1128.

*Admota aethereis culmifera sedibus
Eurosexciunt, excipiunt Notos,
Insani Boreas minas,
Imbriferanique Corum.*

obnoxius quid sit, Lucan. probat V, 379.

Dalmatico Boreae Calabroque obnoxius Austro.
et Tibull. II, 2, 9.

Stare vel insanis cautes obnoxia ventis.

Insecta autem tueri fortasse possis Lucretio II, 519.

*Ancipiti quoniam mucrone utrinque notantur
Hinc flammis illinc rigidis insecta pruinis.*

tamen vel in ipso hoc loco ex opt. Codd. Wakef. (nisi infidelis memoria labitur, nam ad manus editio non est) *infesta* reposuit, omnino illi loco melius congruens. deinde quæ foret hæc insula *ἀνιδρωσις*: hinc terra *insecta* est illinc *obnoxia* ventis? porro *insecta* melius quieti convenit, ut in illo Lucretiano loco, si *insecta* retineas, quam ventorum agilitati, ut apud Stat. Silv. I, 1, 56. ubi Handius alia exempla præbet:

*Vix sola sufficiunt insectaque pondere tanto
Subter anhelat hiems.*

Hæ causis Codd. reliquorum lectionem *infestus*, corrigens tamen, uti debebam: *infestis*, præponendam censui. Ceterum etiam hæc poematis pars Senecam velut auctorem habet, N. Q. VI, 24. *Spiritum esse huius mali causam (terrae motuum) et ipse consentio. de illo disputabo, quomodo intret hic spiritus; utrum per tenuia foramina, hæc oculis comprehensibilia; an per maiora et patentiora, et utrum ab imo an etiam per summa terrarum.*

v. 293). *Flexere caput.* Id est, seu retro eunt. SCAL. Locum impeditiorem non melius intellexerunt interpretes, quam priora. Nos quia de causis ventorum sub terra agi semel scimus, facile etiam has vincimus difficultates. Altera causa tractatur de aquis marinis per cavernosa litora intrantibus et comprimentibus inclusum aërem, hoc comparatio organi, hoc versus totius doctrinae ultimi: *Haud aliter summotus furens* etc., hoc denique prior versus: *Sive introrsus agunt* etc. haud dubie persuadent. Hinc

iam videmus *seu forte* falsum esse, quod a priore diversam rationem inciperet, inepte. ergo si legendum. *forte flexere* versus truncat; *forsan*, (ut Cod. 2. ex correctione habet) post si unus Plautus in Persa sibi indulget; nos *forte inflexere* (si mavis: *forte inflexere*, non dimico; licet improbens) ex utraque lectione facimus. Postquam verbis consultum est, sensum explicemus ex Plin. H. N. II, 48. *Austro maiores fluctus eduntur, quam Aquilone, quoniam ille infernus ex imo mari spirat, hic summo. Ideoque post Austros noxii praecipue terrae motus. Noctu Auster, interdiu Aquilo vehementior. 82. Autumno et vere terrae crebrius moventur, sicut fiunt fulmina — item noctu saepius quam interdiu.* Duas hinc maxime res discimus: Austrum hic tanquam a philosopho non tanquam a poeta memorari; maxime enim ab eo excitari terrae motus; noctuque ac veris autumnique tempore hoc fieri, infra ad partes vocabimus. Siciliae infestissimum Austrum esse, ex Senecae Epp. 14. discimus: *Ille est enim qui Siculum pelagus exasperet et in vertices cogat.* deinde causam accipimus, quia plurimum aquarum terris ingerat. id autem effici, quia *ex imo mari spiret.* hoc est, quod Lucil. dixit *caput flectit et tergo fertur*; altera enim orationis pars alteram explicat. Quod clarius German. Arat. 292. de eodem vento idem memorans:

Tunc rigor aut rapidus ponto tunc incubat Auster.

et Petron. c. 123. de Reip. immut.:

At velut ex alto quum magnus inhorruit Auster.

Magis ad verba Lucilii Ovid. Boream loquentem inducit Metam. VI, 697.

Idem ego quum subii convexa foramina, terras

Supposuique ferox imis mea terga cavernis,

nubes et nubilus non debent nos offendere, cf. Lucret. VI, 119.

Ut nebula ac nubes paullatim repit.

adde Lucan. VI, 468. Caton. Dir. 39. *Alioquin in promptu esset reponere undaeque; quid enim differunt oculis undaeq. et nubes?*

v. 294) *Praecipiti delata sono. Veteres excusi: delecta sono, unde deiecta. Totus autem locus ita legendus est:*

Praecipiti deiecta sono premit unda, fugatque

Torrentes auras.

Nam, ut ex sequentibus patet, nunc apparat disputationem, qua probare vult, ventum illum, qui ignem animat, excitari magis agitatione, quod egit secretos calles sub terra, id quod et Aristoteles quoque testatur, idque vocat *διαυλωνίζειν*. *Δοκᾶ*, inquit, *διαυλωνίζειν ὑπὸ τῆν γῆν ἢ θάλασσα*. Quum igitur, ut est in Epitome Trogi, necesse sit ut Sicilia per fistulosos meatus multam vim subiecti aequoris excipiat, aquarum ille concursus raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tam diu tenet, donec per spiramenta terrae diffusus nutrimenta ignis accendat. *Claudianus*:

*Seu mare sulfurei ductum per viscera montis
Oppressis ignascit aquis et pondere librat etc.*

Item et Lucretius:

*Praeterea magna ex parti, mare montis ad eius
Radices frangit fluctus astumque resorbet,
Ex hoc usque mari speluncae montis ad altas
Pervenit subter fauces. Hac ire fatendum est
Et penetrare mare et penitus eo cogier arcto,
Atque efflare foras, ideoque extollere flammam
Saxaque subiectare et arenae tollere nimbos.*

Addit similitudinem ex organis hydraulicis, ut enim in illis agitatio aquae tubulos animabat; ita etiam hic in Aetna motus aquae subterraneae excitat spiritum, spiritus incendium. Hoc sane, qui in Puteolano agro fuerunt, sciunt verum esse. Nam in eo tumultus ille et fremitus montis ardentis non alia ex causa fit, quam ex aquae egressum rimantis agitatione. Seneca; *ignem spiritus concitat; aquae, si ventum detrahas, inertes sunt*. SCAL. In V. C. *delecta* legitur, quod illustrissimus Ios. Scaliger in *delecta* mutat. Mihi tamen illud *delecta* etiam probum videtur. *Deligere* enim antiquitus pro deicere usurpatum, apud Terentium legitur. Plautus quoque Asinaria ea voce usus est, *Scena: cur me rotentas*:

*Huic quod dem nusquam quidquam est,
Hinc me clamore ex aedibus delegit huius mater.*

Sic autem malo ex V. C. Florentino legere, quam, ut alii, hinc me amantem eiecit. *Clamor* hic convicium, ut apud Pacuvium: *ubi illic me miserum quianam clamore eliminat*. Sic etiam dicebant

eligere pro eiicere. Lycon apud Rutilium Lupum: *Interea alium contumeliose extra ianuam electum vacillantem puer sustentat.* Nec puto, mendosum locum esse. LINDENBR. Plura exempla verbi *deligendi*, quod omnes Codd. tuentur, ad Plauti locum a Lindenbruchio excitatum Asinar. III, 3, 42. Taubmann. contulit; cf. etiam quae Camerar. notavit. Elegantem Anton. de Rooy coniecturam: *torpentes auras vix me retinui, quin tanquam veram reciperem.* ita Stat. locutus est in Theb. IX, 452.

Stagna quo torpentesque lacus, pigrasque paludes

Excudit.

Sed Claudiani locus R. Pr. I, 176., quem Scaliger adscripsit, ut dubilem facit. Accurate de re disputat Aristot. Meteor. II, 8. p. 798. cf. Strabo V. p. 171. lin. 32 sqq.

v. 296) *Nam veluti sonat ore diu.* In antiquitus excusis, *sonitura diu.* Ego lego *sonit aura.* Sonere aures dixit Lucretius. Non probo aliorum correctionem, *resonante diu Tritone.* Non dubium autem, quin Tritonem ponat inter Hydraulica, qui aquarum adsultu concepta aura voces ederet, ut buccina, immo per buccinam, quam ori admotam gestabat, vocem ederet; et sane similia habemus in Heronis Pneumaticis. In Theatris autem fuisse, et in illis, quae *ἤχητα* vocabant, poni solitum fuisse, verisimile est. Ex huius exemplo vult probare, Aetnae spiritus illos ex aqua intus agitata excitari. Quare fallitur multarum litterarum vir, qui simpliciter hic tanquam de Tritone marino dictum accepit, non tanquam de organo hydraulico. Non enim advertit similitudinem, qua hic utitur poeta: *Nam veluti sonit aura diu.* Subintelligo τὸ quum, ut postea dicitur. Perinde ac si dixisset: *Nam veluti quum sonit aura.* SCAL. *Aura* omnino cum Scal. scribendum erat; nam in voce *aurae* hic omnis causa posita est, et in eam recurrit comparatio: *Haud aliter — torrentibus aura. ora, aura* et similia ubique confundi, a multis animadversum est. De hoc Tritone docte egit Wernsd. quem autem errasse hic docet Scal., Turneb. est in Adversar. II, 21. p. 56.

v. 297) *Opus*, quod Helmst. a prima manu habet, omnino verum est, et hydraulicum significat, quod proprie, ut videtur, dicebatur *impelli.* Sic certe Vitruv. de his agens X, 13. *Inter*

tabulam et canona regulae sunt interpositae, ad eundem modum foratae et oleo subactae, ut faciliter impellantur et rursus introrsus reducantur. quapropter ipse Lucil. 301. *quae tenuem impellens animam* etc. Collectus non recte Gesner. in Thesaur. s. h. v. interpretatur, quem sequitur Wernsd.; et omnino dubiae auctoritatis vox est substantive intellecta. nam apud Lucret. IV, 416. ex optimis Codd. *coniectus* Wakef. reposuit. Deinde *collectus* sive *coniectus aquae* mire diceretur de hac aqua, quum non casu confluerit, sed prudenter infundatur; cui si addis, non aquam hydraulicum impellere, sed spiritum ab aqua victum ut moveat sese, atque huius ipsius spiritus ab aqua commoti potentiam nobis describi, ita ut figurate de *aqua* dicere, quod *ventorum* esset, nisi inepte poeta dicere non potuerit; omni hoc argumentorum pondere victus hoc mihi concedes: *collectum* non substantive esse sumendum, sed participialiter, ut ad *victusque* — *Spiritus* pertineat, et dativum *aquae* regat pro casu sexto cum praep. *ab* posito. Ceterum ridiculo errore, quod Turneb. l. l. vel festinans vel memoria labens scripserat: *victusque movetur*, quasi optimam emendationem Gorall. arripuit, omnem sensum omnemque orationem evertens; quum tamen appareat, infinitivum a voce *victus* pendere, sicut: *lassa manus talos mittere* dixit Prop. III, 29, [II, 34] 26.

v. 299) Praeter primam hanc quoque addidit *παραβολήν*, ex organis hydraulicis, quae a pneusticis sic differunt, quod pneustica nostra follibus ventum concipiunt, illa vero aquarum agitatione. Eleganter ea ita describit Claudianus in eruditissimo carmine ad Manlium:

*Et qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis moderator ahenae,
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte, laborantes in carmina concitat undas.*

Meminit Servius ad illud. *Neptunus ventis implevit vela secundis.* *Physice*, inquit, *loquutus est; motu enim aquae ventus creatur, ut videmus in bombis organorum.* *Organarius* vocabatur, qui hydraulica tractabat. Sic enim in veteri glossario: *Organarius ὄργανύλης.* Sed obscura sunt ea, quae de illis tradit Vitruvius L. X etc. ut ipse ait, non est facilis ratio, neque omnibus expedita ad intelli-

gendum, praeter eos, qui in his generibus habent exercitationem. Sed et pneustica nostra non ignota fuisse Veteribus, argumento erit doctum Epigramma Iuliani Apostatae, quod et dignissimum duximus, ut hic non ibi tantum legeretur:

Ἄλλοιην δονάκων ἑρώω φύσιν· ἧ που ἀπ' ἄλλης
 Χαλκείης τάχα μᾶλλον ἀνεβλάστησαν ἀρούρης
 Ἄγριοι; οὐδ' ἀνέμοισιν ὑφ' ἡμετέροις δονέονται,
 Ἄλλ' ὑπὸ ταυρείης προθορῶν σπήλυγγος ἀήτης
 Νίρθεσιν ἐϋτρήτων καλάρων ὑπὸ ῥίζαν ὄδεύει.
 Καί τις ἀνὴρ ἀγέρωχος ἔχων θοῶ δάκτυλα χειρὸς,
 Ἰσταται ἀμπαφόων κανόνας συμφροάδμονας αὐλῶν·
 Οἱ δ' ἀπαλὸν σκιριτῶντες ἀποθλίβουσιν αἰοιδήν.

Non absimile faciebant et cadi, quibus impactae tibiae erant. Quae quum ex quadam parte hominis spiritu animarentur, cantum edebant distinctum foraminum varietate; id quod in pneusticis fiebat, regularum motu, quas vulgo *marcas* dicimus. Ab eo Pithaulae dicebantur eorum *τεχνῖται*. Varro ὄνος λύρας:

*Inflat priusquam tibias in orchestra,
 Domi suae Pithaula ramices rumpit.*

Item Propertius L. IV.

Tibia Mygdoniis cantat eburna eadis.

Qui locus Propertii, ita antiquitus excusus, postea ab audaci quodam interpolatus est. Et verisimile est, nihil aliud voluisse Senecam, quum haec ex Metrodoro verteret: *quomodo in dolio cantantis vox per totum cum quadam discussione percurrit et resonat, et tam leviter mota tamen circumit non sine tactu eius, tumultuque, quo inclusa est* etc. Ascaules vero, quem utricularium Latine dicimus, plane idem facit. hoc tantum differunt; iste instigans ventum conceptum exanimat utrem, ac veluti exprimit cubito, ut in Copa:

Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Cuius generis sunt praestantissimi technitae in agro Pictaviensi. Pithaula vero, cum inspiratam in cado ligneo aut eburneo concepisset animam, per fistulam vocalem, foraminibus in ea dispositis, ita modulationes, et ut Gellius loquitur, *frequentamenta* distinguebat. SCAL.

Ibid.) *Magni cortina theatri. Hoc est tholus theatri. Ennius:*

Quaeque frcto cava caeruleo cortina receptat.

SCAL. Etiam hic cum Wernsd. quem cf. cortinam de ipso instrumento hydraulico interpretor; unde *magnis — theatri* ex Codd. H. et 3. revocandum fuit; *magni* contra *theatri*, quod ex Cod. 2. in edd. venit, rursus aperit, codicem illum esse correctum, quia interpolator de theatri tholo, uti Scal., cortinam intelligebat.

v. 302) *Lege: torrentibus auris; submota* subauditur *unda*. Alioqui satis obscurum locum puto fuisse iis, qui recentioribus editionibus praefecti fuerunt. SCAL.

v. 303) Hic iam ratio reddenda est audacis facinoris. Duos enim illos versus, qui nunc 283 et 284. sunt, hinc ex antiqua sede et domicilio eieceram. Quod si ne nostra quidem te tempora docuerunt, si neque te Maii exempla, neque Niebuhrii ingenium admonet, ut hoc genus emendationis, quod sua temeritate quidam paene infame reddiderunt, non tamen propter illorum errorem, ipsum honestissimum, simul totum abiiciendum censeas; deme rursus illos versus inde, quo sunt relati; sed tunc ipse succurre et explica v. 285 et 86. Nam vides, quam priores interpretes ringantur, quam nos iidem abeamus, qui venerimus. Ingenue difficultatem Wernsd. fatetur. Gorallus, qui nihil intelligit, omnia vult intellexisse videri. Verum *Solvere ista*, ut ait Seneca, *aliud quid est, quam manum exercere et in ventum iactare brachia*. Sed primos versus, qui omnem interpretationem respuunt, nisi me sequeris, mittamus tanquam desperatos. Illud tamen edoctus es, (inde a v. 294.) *aquam irrupentem et auras compellentem ventos sub terra movere*; atque omnes in eo interpretes consentiunt. Cur itaque nunc denique: *Credendum est etenim, vel si mavis: Credendum est etiam?* At quis poetam, inquit, in praecepta logica et orationis distinctionem concludat? Furore ille abreptus ista quidem iam praemiserat, nunc se accingit, nunc opus artificem incendit, nunc ordine cuncta docebimur. Quippe novimus poetam! Sed etiam hoc damus. At versus sqq. inspicere, appositis illis, quos eieci:

Credendum est etiam, ventorum existere causas

Sub terra similes harum, quas cernimus extra;

*Ut quum densa cremant inter se corpora, turba
Elisa in vacuum fugiant et proxima secum.*

Momina tota trahant, tutaque in sede resistant.

Primum versus interpretare. Scal. (cf. ad vs. 304.) de terrarum motu (qui nunc non docetur) tractantem Senecam excitavit; neque illum suam proferentem sententiam, sed alius, Epicuri, ut videtur, si esp. 20. eiusd. libri comparas, quam neque ipse neque Lucilius probat. Ex quorum opinione tantum abest, ut ignis ventorum causa possit esse, quod tamen haec verba docerent, ut nihil prorsus ipsa valeat, nisi venti auxilium ferant. Quod si Scal. interpretatio vera esset, in ipsis rerum initiis secum pugnaret Lucilius. Callide hoc vidit Gronov. in Epp. Sylloge III. p. 74. a Wernsd. allatus, probante quod ille correxerat: *Ut quum densa premunt inter se corpora* etc. Hoc sensu: Quando densa inter se corpora premunt, mutuoque premuntur, pars elisa secum proxima aufert, donec in vacuo et tuto resistant. Audio. Hic non ventos modo, sed tormenti instar se ipsam iaculantem terram nacti sumus. Et concedam, corpora dici de aëris partibus, et esse nos ita faciles, ut haec intelligere nos annuamus; quid porro? Ventus oritur, quando densatus aër se ipsum elidens proxima secum abripit. Nunc cui non satisfactum est? nonne haec ipsa et verissima causa ventorum est? Nonne iam suo loco reddendi versus subrepti sunt? Non sunt. Quasi vero nihil actum sit in prioribus. Immo, non solum fugari torrentes auras, pulsataque ab his corpora densari, sed etiam ab aqua id fieri dudum exposuerat. Cur igitur idem iterum dicit? vel potius cur id simpliciter esse dicit, quod cur sit, hic explicare voluerat? Non sic antiqui scriptores nugantur. Neque tamen moveris? retinendique sunt, quos ego eicio, versus? Recte facis. Itaque porro sententiarum seriem considera: Sub terra eadem causae, quae extra. Densatus aër angustias non patiens partem sui protrudit et fugat. Quod si forte mihi quaedam discordia tecum est, Principiisque aliis credis consurgere ventos, non dubium est, quin densetur aër vel scopulis prouentibus, vel densetur terrarum exhalationibus, quae maximam vim et proximam vento habent. Ergo explanatio sententiae eiusdem, quasi aliis principiis nitatur, discordiam, si qua est, eximet? Habeant sibi, qui tot ac tantis causis nihil moti diutius refragantur

verissimae transpositioni. Atque ut appareat, quam nihil praterierim, quo isti versus pristino suo loco servari possint, ne illud quidem tacebo, quo quis vulgatum ordinem tueri possit. Primo, aliquis dicat, Lucilius causas affert, ventis subterraneis proprias: deinde addit: *Credendum est etiam*, similes esse utriusque ventorum generi causas et easdem atque has deinde enumerari. Sed etiam hanc explicationem ut multis aliis vides, sic maxime hoc ultimo argumento prorsus refelli; quum traiectione mea admissa nihil nos premat. illud autem: *Quod si forte mihi* etc. sic habet: Seneca N. Q. VI, 24: disputat, quomodo ventus terram intret; incredibile sibi videri ait, per *tenuia foramina* eum, et per *summa terrarum* trahi; contra *in magnis terrae cavernis inclusum* aliquo modo turbari. Lucilius utramque causam in antecedentibus statuens, deinde ut modestum hominem decet sibi minus tribuens: *Quod si forte mihi* etc. magistro concedit.

v. 304) *Ut quum densa cremant. Cremant, cremantur, ut movet mare* et Catullus: *tantum abhorret ac mutat*. Eandem similitudinem videtur aemulatus Seneca, ut et alia, quum de eadem re tractaret. *Alii, inquit, in igne causam quidem esse, non ob hoc iudicant, sed quia plurimis locis ardeat et proxima quaeque consumat. Quae si quando exesa ceciderint, tunc sequi motum earum partium, quae subiectis adminiculis destitutae labant, donec corrueere, nullo occurrente, quod onus exciperet. Tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur, aut quum diu nutavere super ea se, quae supersunt stantque, componunt. Hoc apud nos quoque videmus accidere, quoties incendio pars civitatis laborat, quum exustae trabes sunt aut corruptae, quae superioribus firmamentum dabant; tunc diu agitata concidunt; et tamdiu differuntur et incerta sunt, donec in solido residerunt.* Haec Seneca, in quibus expressam paene iisdem verbis sententiam eandem vides. Ad hanc rem facit, quod quomodo veteres partem corruptam in aedificio vitium facere dicebant; ita etiam quum partes plures in ruinam proclives essent, convitium vocabant. Sic legitur in quodam monumento nostrae Veronae: **CONVITIUM REFEGERUNT VALVAS LIMEN DE SUA PECUNIA LARIBUS DANT. SCAL.**

v. 306) *Nomina tota. Lege momina. Ita vocat proclives in ruinam partes et nutantia in se pondera. Momen proprie est ῥοπή*

in libra, seu bilance. SCAL. Versus iam diutius iactatos nunc paucis absolvamus. Primum ad Aetnam referri, manifestum est. ad quam prudenti consilio, de causis ventorum in universum tractans, ita totam orationem contulit, ut cur haec omnia doceamur, memores simus. Ordo rerum facilis est: Venti densata corpora ante se fugantes per Aetnae ora proiciunt, donec inflammata materies a ventorum impetu liberata in terram recidit. Corrigendum fere nihil fuit propter sententiam. Priores contra Codd. fidem *trahant et resistant* scripserunt, qui coniunctivi ab *ut* penderent. nos melius edocti recte indicativos habere intelligimus, et potius *At esse pro ut, fugiunt pro fugiant* reponendum. Ut verbis consuleretur, *Momine* post Scaligeri *Momina* recte iam Gronov. restituit; nos *torta* addidimus pro *tota*. nam quae sunt *tota proxima?* inter *torta* et *tota* ubique librariorum fluctuare scimus; cf. Burm. ad Valer. Flacc. I, 637. V, 439. Wakef. ad Lucret. I, 249. Lachm. ad Prop. IV, 20, [III] 10. Propter illustrem sensum Lucret. audiamus I, 291.

*Sic igitur debent venti quoque flamina ferri,
Quae veluti validam flumen, quum procurbuere,
Quam libet in partem trudent res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vortice torto
Corripiunt rapidique rotanti turbine portant.*

Unum praeterea te hortor, ut mecum corrigas:

Tuta dum sede resistant.

Ita denique omnino rotunda et expleta sententia, quasi ipsa sopita et pacata sit, leniter exit. et tutaq. in quid distat ab: tutadū. Multo facilior particularum doctrina foret, nisi dum, quum, quin, quando, quoniam cum omnibus similibus ubique pro lubitu et capto mutari videremus.

v. 308) *Principiisque aliis.* Pessimo facinore hunc versum interpolaverunt correctores. At veteres Editiones recte:

*Principiis quod ab his credas consurgere ventos,
Non dubium rupes etc.*

Est autem eadem loquutio supra, ut adnotavimus, et apud Terentium:

Quod tibi nunc vir videatur esse, magnus nebulo est.

Dixit a ventis ruinam excitari. At nunc occurrit obiectioni, si quis forte putat, ex ruina ventos cieri. SCAL. Non est dubium, quin, sive *ab his* sive *ab aliis* legas, sententia eadem efficiatur; nam *ab his* esset *ab sequentibus*. Maior tamen est auctoritas Cod. H. et 3. quod a coniectura ortum simul *ab his* peperit; sed particulam *q. aliis* insequens absorpsisse, multo verisimilius est. *Credas* autem ab indefessa librorum libidine fluxit, qua coniunctivum pro indicativo ingerunt, et verissime I. F. Heusinger in Heroid. Ovidianarum emendat. in: Lessing's Beiträge zur Gesch. u. Litt. 3ter Beitr. p. 40. *Recentissimi quique libri*, inquit, *contra morem veterum post si coniunctivum ubique inculcare solent.*

v. 310) Repone ex antiquitus excusis *provehere*. Provehit cavernas vi et impetu ventorum. Deinde:

casuque propinquas

Diffugere impellique minas;

Non *impellique animas*. Minas vocat, quae iam *momina*, hoc est, nutantes ruinas. SCAL. Mihi contra *Prorvers* verissime in Edd. venisse, videtur, unde sit. cf. Senec. N. Q. VI, 10. 20. 22. *Tunc saxa vasti ponderis decidunt, tunc illa praecipitata rupes, quidquid ab imo repercutit, non passura consistere*

sonitu venit et ruere omnia visa repente

ut ait Virgilius noster. animas in omnibus Codd. inest.

v. 311) Hinc licet cernere ventos esse causam ruinae, non contra. Hoc volebat probare, sed lacuna facta est. Quare statim post haec asteriscus ponendus, quo inter haec et sequentia verba labes facta esse notetur. SCAL. Varie hunc versum tentarunt nequidquam. Scal. lacunam factam esse affirmat; Gorallus, sed mittamus Gorallum. Gronov. *cernere* delens scribit *carcere* et cum sqq. coniungit. Nimirum *cernere* est dimicare, cuius verbi et absolute positi et contra multa exempla Nic. Heins. congressit ad Virg. Aen. XII, 709. quibus unum addo Lucret. propter sententiae similitudinem IV, 965.

Nautae contractum cum bellis cernere bellam.

v. 312) Nemo ita, ut textus habent, distinctis versibus, ullam difficultatem sentiet. quare varia versuum tentamina omitti-

mus. Aliam ventorum, causam docere incipit. *Aut humore etiam assumit relictam v. 308, orationem: Principiisque aliis etc.*

v. 313) *Scribe solet. SCAL. Ut vel Pith. vel alius pro vitiosa Codd. lectione Aut correxit.*

v. 314) *Quos obruit amnis vallibus exoriens. Intelligit χαραδραν. SCAL.*

v. 315) *Aura etiam Latinis proprie de fluminum exhalationibus usurpatur. cf. Lucan. II, 423.*

Nocturnaeque editor aurae Sarnus

ubi cf. Oudend. et Caton. Dir. 49. Appulei. de Mundo p. 394. ed. Colv.: *Siccós enim superioris mundi flatus ventós nominamus, auras vero humidós spiritus.* exscribens auctorem de Mundo c. 4. *τὰ δὲ ἐν αἰερί πνεύοντα πνεύματα καλοῦμεν ἀνέμους· αὔρας δὲ τὰς ἐξ ὑγροῦ φερομένας ἐκπνοίας.* Aut omnia me fallunt, aut incidendum fuit post ferunt, ut auras genitivus sit exemplo Virg. XI, 801. a voce vis pendens. Sententiam et orationis vestigia habes apud Senec. N. Q. V, 7. *Primum ergo antelucanos flatus inspiciamus, qui aut ex fluminibus aut ex convallibus aut ex aliquo sinu feruntur. — Et inde maxime venit, ubi aquarum plurimum et montium est. Plana licet abundant aquis, tamen carent aura; hanc dico quae pro vento valet.*

Ibid.) *Lego venti, ubi enim flumina, ibi aura quaedam proxima. Certum enim est ex fluminibus auras excitari. Cuius rei vel fidem faceret ille apud Plutarchum, in vitis, qui noctu ex recentis ventuli agitatione suspicatus est non procul flumen abesse. SCAL.*

v. 317) *Pro rerum est, quod Codd. et edd. omnes habent, satis dure Görall.: potentia eorum est scribit, quem sequitur Wernsd.; quia versus proximus clausique id genus videbatur exigere. Causa vera est, sed mutatio reiicienda. Nam diceretur eorum de ventis, et continerent versus totius sententiae conclusionem et epiphonema, quod falsum est. hoc enim vss. demum 319 cum sqq. afferunt: His agitur causis etc. Unde apparet non ad omnes ventorum causas sed ad proximam vaporum potentiam sub terra valentissimam conclusionem fieri, et in rerum latere vocem,*

quae illuc referatur. erat ergo in proclivi, suam Lucilio scripturam reddere:

Atque haec in vacuo si tanta potentia rorum est.

Eandem roris vocem in re eadem habet Lucan. VI, 369.

*Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos suspirat Anauros.*

v. 318) Ita legendum est:

Efficiunt intra, clausique necesse est.

SCAL. *Infra* ex Codd. H. et 3. dēdi. *efficiant* dudum correctum est.

v. 319 sqq.) *His agitur causis extra penitusque coactis.* Lege:

*His igitur causis extra penitusque coacti
Exagitant venti.*

Sic paulo post idem error: *ingeminat fluctus.* legendum *ingeminant.* *Exhausta unda ἀναβροχθεΐσα, ἀναβροχθεΐσασα.* Homerus de Seylla et Charybdi. — v. 321. *Pugnantēs suffocant intus ut.* Neque ego hoc intelligo, neque versus concinnus est. Ego puto legendum esse: *pugnantēs siphō catit intus.* *Siphō seu Syphō est τύφωσ* absorbens fluctus. Quod ex comparatione sequenti explicatur:

ut unda profundo

Terque quaterque exhausta, graves ubi perbibit Euros.

Quum dicit siphone quati ventos, significat ex absorptu illo stipationem ventorum fieri, ex qua motum illum καὶ σφυγμὸν in partibus proclivibus et ruinosis nasci. *Catit pro quatit.* SCAL. Utraque Scal. emendatio acuminis plena est, et poterat alteram Senecae loco firmare, N. Q. II, 16. *Solemus duabus manibus inter se iunctis aquam concipere, et compressa utrimque palma in modum siphonis exprimere, simile quiddam illic fieri puta.* Sed nos, qui melioribus instructi subsidiis ad Lucilium accessimus, veriora dare poteramus. prorsus enim ex Cod. H. vss. 319 — 21. propositi sunt, cui rell. Codd. fere accedere ex VV. LL. vides. Huius auctoritatem eo minus deserere Wernsd. debebat, quia *ventus coactus*, ubi de omnium ventorum decertatione agitur, in numero singulari spernendus erat, nisi cum iis Lucilium vis sensisse, quos cum irrisione, ut videtur, Aristot. exagitat Meteorol. I, 13. *διὸ καὶ τῶν σοφῶς βουλομένων λέγειν τινὲς ἓνα φασὶν ἄνεμον πάντας τοὺς ἀνέμους, ὅτι συμπέπτωκε καὶ τὸν ἀέρα τὸν κινούμενον ἓνα καὶ*

τὸν αὐτὸν εἶναι πάντα δοκεῖν — παραπλησίως λέγοντες, ὡσπερ ἂν εἴ τις οἴοιτο καὶ τοὺς ποταμοὺς πάντας ἕνα εἶναι ποταμὸν. διὸ βέλτιον οἱ πολλοὶ λέγουσιν ἄνευ ζητήσεως τῶν μετὰ ζητήσεως λεγόντων. *Pauca tamen addenda sunt. Primum coactus tantum in casu sexto lectum hucusque esse, fateor; ut tamen adiectivum pateretur, velut Lucr. II, 273. Viribus alterius magnis, magnoque coactu. ubi vide, quos tam poetas quam oratores contulit Wakef. Itaque haesissem, si coniectura haec vox restituenda fuisset; non haesi, quum cod. auctoritas accedit et universae orationis tenor suadet. Tantum autem abest, ut hanc coactus vocem a sententia alienam iudicare debeas, ut omnino ea ne possis quidem carere. Demonstravit enim omnium ventorum motum aliunde oriri, neque sponte movendi se facultatem eis concedit. Atqui hoc putaverat cum aliis magister Seneca; cum quo ne esset verbis disceptandum, homo liberalis et ingenui plenus pudoris tangere rem verbo satius habuit. Ipsum audi Senec. N. Q. V, 5. Quid ergo? hanc solam esse causam venti existimas, aquarum terrarumque evaporationes? Ex his gravitatem aëris fieri, deinde solvi impetu, quum, quae densa steterant, ut est necesse, extenuata nituntur in ampliorem locum? Ego vero et hanc iudico. Ceterum illa est longe verior causa valentiorque, habere aëra naturalem vim movendi se; nec aliunde concipere, sed inesse illi, ut aliarum rerum, ita huius potentiam. — Deinde, quum quae in pugnandi verbo bis repetito insit vis orationis, dispicere nequeam, perquam veri simile videtur, Luctantes suffocat iter, hic poëtam scripsisse; saepe enim hanc vocem ab illa exturbari, alicubi Nic. Heins. adnotat. et simillime Lucret. loquitur V, 1129.*

Angustum per iter luctantes ambitionis.

Auget praeterea vel potius stabilit prorsus et confirmat correctionem Senec. N. Q. VI, 18. Denique cf. Iustin. Hist. IV, 1, 14. quem iam. Scal. ad v. 294. adscripsit.

v. 322) *Imitatio videtur Ovidii Metam. XV, 181.*

Sed ut unda impellitur unda

Urgeturque prior venienti, urgetque priorem.

v. 324) *adstrictas quid sit, cf. Burm. ad Valer. Flacc. I, 282.*

tongitur ictu i. e. *repercussus*, cf. Senec. N. Q. VI, 17. 18. et Lucil. 382. *acrior ictu Impetus exoritur.*

v. 326) Exoletae editiones habent *nervos*. Quod dictum, ut Graecorum *ἵνες*. Itaque lectionem illam mutare mihi religio est. SCAL. Unde sit lectionis fluctuatio in verbo ultimo, denuo Helmstadiensis simplicitatem aperire vides. Ex superiore enim versu *vires* vitiose repetitae varias correctoribus vias aperuerant. In quo difficile est alteram praeferre, vel *venas nervis* vel *norvis venas*. *venas* plerumque meatus illos a Lucilio dici recte Corall. indicavit, contra *nervi* quam bene dicantur, Scal. docet, atque magis puto etiam placere, si mecum non *ardentes* sed *artantes* scribas, quoniam nondum de Aetnae incendio tractatur, sed de vehementi ventorum per arcta itinera luctamine. Verum quia in re ancipiti vacillat iudicium, vulgatam deserere nolui; nam Cod. 2. fidem satis puto labefactavimus.

v. 327) Nego posse, quod faciant, suppleri *rem* vel *materiam morantem*. ita enim *morantia* scripsisset; sed de vento minus urgente et in aliqua spelunca, donec fortiorum impetus deserbuerit, compresso interpretor.

v. 328) Veteres editiones *revolvens*, sed mendose pro *devolvens*. Lego totum locum, *confluviis devolvens aestibus*; ut dicat *aestus confluviis*. *Devolvens ἀρχαϊκῶς* dictum, ut *volventibus annis*, *volventia plostra*. Est autem hic *devolvens κατωφερής*, vel ut poëtae dicunt *προσαλής*, quod Latinis poëtis est *praepes*; ut Ennius dixit *praepete portu*, ad Graecorum exemplum, quibus est *προσαλές πεδίων*, et vetus poëta *ἀνώνυμος*.

magnus cui praepete mento

Perfluit oceanus.

Praepes montum, unde nimis facile labant aquae. Et Ennius:

Praepetibus hilares sese pulchreisque locis dant.

Praepetia loca dixit, ad quae facilis adlapsus esset. Est autem vox omnino Graeca *προπητής*, facile pronum ad labendum. SCAL. Hic iterum codd. auctoritate destituti vulgatam sequimur; ut nos, versum Nic. Heins. legit ad Claudian. R. Pr. I, 171.

v. 330) Dixerat iam dudum causas incendii non in superfleie montis esse; sed in fundo. Cui consequens et *ἀκόλουθον*

nunc addit, Aetnam non agitari ab externo vento, sed suo ex aquarum intestinis colluctationibus excitato. Idque probat ex caligine, quae semper ultra Aetnaeum apicem cernitur. Nam quum residet aestus, tunc nubes agitur ad perpendicularum. Nam si ita esset, librari ab aestu montis. Atqui illa qua ventus cumque impellit, fertur, quum tamen Aetna non aestuat. Idem Seneca attingit, loco quem supra attigimus. SCAL. Unum ad Scal. interpretationem addo: *Lucilius ventos et intrasse negat per verticem, et inde pulsos i. e. depulsos ab igne contra nitente redire.* Hoc probe tenendum, ne in sqq. labaris.

v. 331) *Pulsis.* Repono: *pulsos*, quod et confirmatur ex veteribus Editionibus. Pudet me in tam minutis immorari; sed quid facias, ubi in recentioribus editionibus nihilo correctior lectio inveniatur? SCAL.

v. 333) *Caeruleus sicco Iove.* Alii, puta antiquitus excusi, habent *sic* [i. e. pro *Iove*] Ergo *caeruleum* pro sudo et sereno. ita et alibi loquitur:

cum sicco frigida monti Desidia est.

Ita et Cesennius Getulicus:

Non illic aries verno ferit aëra cornu,

Gnossia nec Geminos praecedunt cornua tauri,

Sicca Lycaonios resupinat plostra Bóotes.

Tanquam intelligat Britanniam sudo et sereno aëre esse, propter diurnam glaciem. Quod tamen secus se habere experientia docuit nos. Eos versus Getulici, apud Servium corruptos emendavimus. SCAL. Ex Codd. iam patet *sic* vitiosum esse, nec defendi debere. Sed alterum vitium eximendum erat. Nemo enim unquam Iovem, neque si pro aethere nomen est, *caeruleum* vocavit, quod Neptuno cognomen *Caeruleo Iovis fratri* unice convenit, uti niger Plutonem designat, neque omnino ullus color Iovi praeter ruborem tribuitur (nisi nubilum, candidum, clarum etc. de colore interpretaris) contra studiose similem orationem vitant, saepe occasionem nacti, velut Stat. Theb. V, 362.

Caeruleo gravidum quum Iuppiter imbri

Ipsae super nubem etc.

Valer. Flacc. I, 82.

Aethera caeruleum quateret quum Iuppiter imbre.

III, 91.

Caeruleo veluti quum Iuppiter agmine nubem etc.

contra idem VII, 567.

Ac velut ex una si quando nube corusci

Ira Iovis torsit geminos mortalibus ignes.

cf. Claudian. Eutrop. I, 4. *Caerulea sidera sunt in portento, velut* apud Virg. Georg. I, 453. Ovid. Metam. XV, 789. Non itaque, quin consentientes omnes prudentes habiturus essem, dubitavi, *caeruleus sicco pro caeruleo siccus reponens.*

v. 335) De hac Aristoteles loquens de montibus ardentibus: *Τὸ δὲ αὐτὸ αἴτιον καὶ τοῦ εἰωθότος ἐνίοτε γίνεσθαι σημεῖον πρὸ τῶν σεισμῶν. ἢ γὰρ μεθ' ἡμέραν, ἢ μικρὸν μετὰ δυσμᾶς, αἰθρίας οὐσῆς, νεφέλιον λεπτὸν φαίνεται διατεῖνον καὶ μακρὸν οἶον γραμμῆς μήκος εὐθύτητι διεκραιβιζόμενον, τοῦ πνεύματος ἀπομαραινόμενου διὰ τὴν μετάστασιν.* Scripsit et Strabo quosdam ausos ascendere summum cacumen, ac retulisse, inter alia quae reperissent, fuisse μέσον βουνὸν τεφρώδη τὴν χροῖαν, ὑπὲρ δὲ τοῦ βουνοῦ νέφος ὄρθιον διαεστηκὸς εἰς ὕψος, ὅσον διακοσίον ποδῶν ἡρεμοῦν, εἰκάζειν δὲ καπνῶ. Ergo in sqq. legendum *circumstrepit*, non *circumstrepit*. quod cur in *circumstupet* mutarit Antverpiensis editio, non dispicio. SCAL. En egregiam orationem! *Nubes obscura*, ita narrat, *caligine, et pigra humida, defuso vultu sublimis, circumstupet prospectat opus.* Quantam vitiositatis messem hic habemus! Illane *nubes pigra* vocatur, quae tamen eadem v. 339. *Obsequitur, quacunq̄ iubet levis aura reditq̄?* simulque et additur, ubi nullam prorsus copulam desideras; contra *pigra humida* coniunguntur, sine ulla copula, duo epitheta uni verbo dantur inficetissime; et qualia sint, vides; quid *pigrane* est, quae *sublimis prospectat?* eane *humida*, quae *torret* Aetnae vapore? porro lege. est etiam illa *nubes defuso vultu sublimis*, i. e. depressa erecta. et si haec non sufficiunt eadem *circumstupet prospectat*, ubi rursus omni coniunctione omissa iunguntur, quae universa coniunctionum farragine iungi nunquam poterunt. Ubi in tanta miseria et unde auxilia petimus? sunt enim si non plura, totidem

certe, quot verba, vitia. Ego si ne apice quidem mutato tibi plana omnia et aperta faciam, ecquam gratiam habebo? Itaque vide, an placeam:

*Illinc obscura semper caligine nubes
Prospectat sublimis opus vastosque receptus,
Pigraque defuso circumstupet humida vultu.*

Illam nubes, inquit, sublimis Aetnam, et vasta unde exit ora montis prospectat, simulque, ipsa interno Aetnae vento propulsa, stupet, quum quieta et sopita circum se maria cernit. Nunc ne minima quidem difficultas relinquitur. Dum a vegeto Aetnae spiritu in altum erigitur, sublimis adscendit, deinde, quando ventorum impetum perpessa est, vultum defendit. Audi quid de hac nostra nube prodiderit Comes de Borch in: Briefe über Sicilien und Malta, Tom. I, p. 79. Bei einer Windstille nimmt er (der Rauch) hingegen eine entgegengesetzte Richtung; er erhebt sich zu einer erstaunlichen Höhe, worauf er unter der Gestalt von weisslichen Flocken auf die Spitze des Bergs herabfällt. Possim hic luxuriari oratione, et in coelum tollere poetae doctissimi prudentiam, qui sic praeter-eundo de pulcherrimo totius insulae latissimique maris prospectu, dum sol die sereno oritur, nos monuerit. sed non faciam, neque ad sacrum ventorum marisque silentium provoco, quum dii praesentes adsunt, quantumvis frequentatum poetae, cf. Valken. ad Theocr. 2, 38. Potius maris mentione pacati hic eum supersedere nequaquam potuisse demonstrabo. Describit naturam Aetnae ante eruptionem; neque in eius ora descendere ventos, neque inde ab igne repulsos remeare probaturus. Primum ait nubem sursum escendere, quod fieri non posset, si venti per fauces deorsum decurrerent; deinde omnino terras ac maria a ventis quiescere διὰ τὴν μετάστασιν τοῦ πνεύματος. cf. Plin. H. N. II, 81. Hoc autem ipsum tanquam futurae eruptionis indicium memoratur. Aristot. Meteor. II, 8. p. 798. διὸ γίγνονται ἠνεμίαι οἱ πλείστοι καὶ μέγιστοι τῶν σεισμῶν. cf. Senec. N. Q. VI, 12. et Plin. H. N. II, 79. Neque enim unquam contremiscunt terrae, nisi sopito mari, coeloque adeo tranquillo, ut volatus avium non pendeat, subtracto omni spiritu, qui vehit. Ne pigra humida te offendant, cf. Lucret IV, 626.

*Haec ubi laevia sunt manantis corpora succi,
Suaviter attingunt et suaviter omnia tractant
Humida linguarum circum sudantia templa.*

Quis enim omnia humida sudantia templa coniungat? potius interpretare: omnem humorem circa linguae sudantia templa suaviter tractant. Ceterum propter simile ab eadem littera P initium ordinem versus mutasse, credendum est. *Receptus* pro vulgata *Recessus* ex Codd. H. et 3. scribendum putavi; recessus quivis abysus est; receptus contra sedes, unde nubes oritur et quasi domicilium tutum longe doctius dici videbatur.

v. 338) *Videt* Codd. lectionem nullius pretii esse, vidit Gorrall. quod pro eo dedit: *fugat*, non melius est. Nam profecto fugat Aetna nubem i. e. extrudunt venti. Hic autem probandum erat, ventos non reprimere exeuntem fumum, dum *decurrunt Vorat*, quod mecum omnes spero consentient verum esse, rem ipsam describit; sicuti Charybdis aquas vorat.

v. 340) Quum resedit tempestas Aetnae, incolas ad summum montis culmen adscendisse proditum a Strabone, quem modo citavi loco. Etiam rem divinam facere solitos addit hic Corn. Severus. Nam si nihil intestinum, inquit, irriter flammam, quae sunt semina tantarum rerum, et stupeat profundum, saepe in summo iugo videas incolas rem divinam facere, vel usque ad ipsas fauces, *καὶ τὸν λεγόμενον ὄυακα*. SCAL. Senec. Oed. 199. *Haud ut voto numina placent.*

v. 342) Hoc denotat altitudinem, ad quam prospectus hominum prevenire non potest. SCAL.

v. 343) *ἐὰν ἡρεμοῖ τὰ κάτω*. Quia non vult externo vento irritari. Quod et divinus vir non ignoravit, quum cecinit: *fundoque exaestuat imo*. SCAL. *Irritare flammam* etiam Ovid. Fast. dixit II, 649. ubi cf. Nic. Heins. *Stupere* ut Statius de alta quiete et immota Theb. X, 194.

Stupet obruta somno

Aeonidum legio.

et IX, 529.

*Quique sub amne diu stupuit cruor, aëre nudo
Solvitur.*

adde Petron. c. 123. de Reip. immut. *fluctus stupuere pruina*. Si recte versus habent, ideo debent haec sacrificia memorari, ut ostendant summam ab externo securitatem esse, quando interna non irritentur. Sed non recte habere omnia clamant. Primum enim, non de omni montis securitate Lucilius loquitur, sed de ea, quae incendia minitatur, quando nequaquam profundum stupet. Deinde nego ad ipsas fauces Aetnae sacrificatum esse, neque hoc usquam, quamquam dicit Wernsd., Strabo memoriae prodidit; ne potuit quidem, quia tantum abesse putat, ut vel accedi propius ad cratera possit, ut fabulosam esse Empedoclis mortem iudicet, οὐτε γὰρ πρόσσιτον εἶναι τὸν τόπον οὐδ' ὄρατόν. quanquam ipsa Aetnae summae natura facit, ut incredibile tale sacrificium ad montis ora videri debeat; scimus enim, quanto cum labore singuli ascendunt; nunc sacerdotum turbam et victimarum eo trahi patiamur? Quod si verba poëtae aptum ad rem testimonium non afferunt, qui de quiete profundi loquatur, et omnis ratio nos vetat de Aetnae ipso cacumine intelligere, neque tamen, ut nunc legitur, alia explicandi via relicta est, me puto audies, quando deinceps ad haec argumenta provocavero.

v. 344) *Huic igitur credis, torrens ut spiritus. Valde corruptus locus, quem ita legendum esse, nullo modo dubito:*

Hinc igitur quaeris, torrens vi spiritus ille,

Qui rupes, terramque vorat, qui fulminat ignes,

Cur exit vires et praiceps flexit habenas:

Torrens vi correximus. Sic loquitur Virgilius saepe numero: *volat vi fervidus axis*. Porro adstruit argumentum a levitate. SCAL. *Cernis* (non *quaeris*) legendum esse cum Wernsd., post apparebit. in reliquis omnino parendum Scal. est. Nam *torrens vi spiritus* non, ut interpretes putant, de *vento* accipi potest. quod adversa fronte contra Lucilium staret. Dóceret enim, praecipitem in Aetnae fauces eum decurrere; atqui hoc ipsum ne credamus, nunc máxime vetamur. sin autem *quaeris* legis, causas polliceretur docere ventorum cessantium; quod non facit, quasque infra quum tangit, nescire se profitetur. Est potius *torrens ille ignis a spiritu e faucibus ante propulsus, nunc in interioribus ad tempus otians*. Neque obstat oratio, siquidem eundem *igneum spiritum*

Plin. nominavit. Ep. VI, 20, 9. *Ab altero latere nubes atra et horrenda, ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta in longas flammaram figuras deliscebant. Sequentia autem ignes apertissime flagitant:*

Praesertim ipsa suo declivia pondere nunquam

Corpora deripiat, validoque absolverit arcu.

Quidni enim multo magis etiam corpora gravia deripiat vel absolvat ventus, quae contra eorum naturam vel altissime tollit? Et summa quaeque maxime deiici a tempestatibus uno ore omnes affirmant. Ignem contra non tantum valere, ut *corpora pellat*, et supra edixit, et nunc his versibus enixe docet, ut in conclusioné ipse legis v. 351. *igitur ferit aura movetque* i. e. corpora deripit et proiectat. Est itaque sensus hic: Quum tenuem fumi nubem ante incendia exire sine intermissione videas, apparet non ideo quiscere montem, quia flammam venti decurrentes contineant, sed infra ob aliquam causam ventos ipsos cessare, et sese ad novum colligere impetum. Ceterum *notat* C. u. unde *rotat* scribendum esse, non vulgatum: *vorat*, vel inde concludimus, quia *n* et *r* ubique in his Codd. misceri est expositum.

v. 346) *Cur egit vires.* Repono lectionem veterum edd. *cur exit vires.* Saepae veteres ita loquuntur; ut apud Statium: *exire vitam sanguine*; apud Solinum: *exire hominem*; apud Lucretium *Profluvium porro, qui tetri sanguinis acre Exierat.*

SCAL. *Cur exit omnes* Codd.

Ilid.) Eleganter, ut supra: *Seu forsán flexere caput, tergoque feruntur.* Ita etiam vulgo loquimur hodieque in Gallia. Metaphora e re equestri, ut *πρόμυαν κρούσασθαι* a re navali. SCAL.

v. 348) *Corpora diripiant. Lege:*

Corpora diripiat, validoque absolverit arcu.

Cur cavernosa non diruat et pessumdet et dissolvat a suo arcu, hoc est, fornice. Nam suspensum quasi fornicibus solum, saepe idem dixit, idest, cavernosum. SCAL. *Deripiat* ex Cod. 3. dedi. Inde ab his versibus ad alteram partem disputationis transit: non depulsos ab igni ventos per fauces remeare. Quod si esset, non

venti, sit, lapides proturbarent, et arenas ex imo haustas; sed ignes et illa corpora et ventos ipsos proiicerent; ignes autem per se, sine ventorum ope nunquam gravia corpora deripient. Nam *deripere* hic non est deorsum rapere, sed abripere, vel ut ipse optime explicat *absolvere ab arcu*. Non semel in hoc verbo interpretes erraverunt, velut apud Plautum Rud. III, 5, 4.

Meamne ille amicam leno vi, violentia

De ara deripere Veneris voluit?

Ubi perperam vetant adeo, ne abripi illam putemus, quum tamen ipsae Plaut. III, 4, 18. sui verus interpret sit:

Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?

Adde Lucret. IV, 35.

Quae quasi membranae summo de corpore rerum

Dereptae volitant ultro citroque per auras.

Deripere etiam ex optimo Vossiano I. reddendum est Lucano VI, 117.

Plurimaque humanis antehac incognita mensis

Deripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.

v. 349) *Ni fallor* ex Cod. H. et 3. ideo scripsi, quia sic plerumque poëtae scribunt, non: *nisi fallor*.

v. 350) *ἑλληνικῶς* dixit *ὀφθαλμῶν βολάς*; vel ut Paulus *τὰς ῥηπὰς*. SCAL.

v. 351) *Nec levitas tantos*. Corruptus locus, legendum:

Haec levitas, tanta est; igitur ferit aura movetque.

Ut sit epiphonema cum conclusione vel Epilogo. SCAL. Pravae Codd. lectionis verissimum restitütorem Scal. esse, sine argumentis omnes credimus. Hoc autem Lucilius dicit: Habere se probabile oculorum testimonium, quo quam invalidus sit ignis tollendis corporibus, cernatur. tantum ruinis extrudendis impetum sine ventorum ope vel attentos oculos subterfugere, nedum laedat et auferat. Itaque non ipsum ignem corpora proiicere, sed auram ferire et movere. Vides iam hic aliquam conclusionem addi, vel ante exemplum ipsum seu speciem allatam. adeo res certa videtur; clausula tamen ipsa deinde sequitur v. 358. *species* est specimen, oculorum vel omnium sensuum observatione nixum; innumeris

locis et Lucret. et Manil. *speciem rationi opponunt*. Eandem vocem præ Rutilio in Itinerar. I, 544. subtrahentes *specimen* supponere.

v. 352) Iam dudum occurrebat interroganti, quare ille ignis et spiritus, quum adeo rapidus sit, non demoliatur suspensos fornices et saxa declivia. Id ille ait, quominus fiat, in causa esse miram rapiditatem et torrentem impetum. Nam quum ille spiritus incidit in rectos canales, et nihil obvium habet, quo, ut Seneca loquitur, sufflaminetur ac interpelletur; tunc propter liberrimum cursum tanto impetu fertur, ut ipsam etiam oculorum attentam aciem fallat. Addit comparationem a face lustrali. Cum Sacerdos in lustrationibus facem quatit, tantus inde excitatur flatus, ut ex eo repercutiantur ora et corpora nostra. Tamen neque aduruntur sata, quae proxime admota sax lambit, dum agitur, neque cinis ex altari rapitur. Genus lustrationis, quod intelligit, disertim describit Claudianus VI. Consulatu Honorii:

*Lustralem sic triste facem, cui lumen odorum
Sulfure caeruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens, et dira fugantibus herbis
Numina, terrificumque Iovem Triviamque precatus
Trans caput aversus manibus iaculatur in Austrum
Secum rapturas cantata pericula taedas.*

Ut etiam possis adsequi, quas taedas innuit Ovidius, illo versu:

Urar et inductae corato sulfure taedae.

Iuvenalis:

si qua darentur

Sulfura cum taedis.

Ab illa autem agitatione, quae fiebat in orbem, manavit verbum *circumferre*:

ter socios pura circumtulit unda.

Nam prius abluabant *rore pio*, hoc est expiatorio; quod Graeci vocant *χερίπτουσα*. Aristophanes *εἰρήνη*: αὐτός τε χερίπτου παραδούς ταύτην ἐμοί. ταύτην, hoc est, τὴν δῆδα. SCAL. In quo ab Scaligeri interpretatione dissentiam, supra exposui; quo iure, ipse iudica.

v. 356) *Plantis humor exit iisdem. Nege honor; τὰ γήρσua καὶ τὰ ἐπανθήματα* florum intelligit, aut folia. Tale illud: *Silvis decussit honorem.* SCAL. Inficeta Cod. 2. correctio *ab eisdem* in omnes Edd. venit, quae enim sunt hae plantae *eaedem*? Neque raro hanc vocem librariorum nobis ingenium proposuit, uti tempori simul et oculis parcerent; aliud exemplum supra habuimus v. 99. compara etiam Manil. I, 292. nolim autem eripi *eosdem* Catull. LXIII, 35., neque profecto ipse Schraderus voluit, sed *Eous* tanquam elegans inventum reticere non potuit, ut in rebus ingeniosis non minus usu venire solet, quam in facietis; sed cur eripi *eosdem* Catullo non posset, eum vidisse, omnis eius oratio demonstrat. Hic autem ego corrigerem *plantis honor exit adustis*, nisi alio nos et Codd. auctoritas et sensus avocaret. Nam vides insigni hic ascensu uti Lucilium, quo sstmmam ignis levitatem palam faciat: non cinerem, non stipulam, ne tenera quidem aridaque gramina uri. post haec non possunt vegeti plantarum succi nominari. Est potius aliquid anquirendum, quod priora longe omnia superet. Cod autem H. *apredas* (voluit puto *aprodas*) et Cod. 3. *apridas*, vel ex altera enotatione *apndas*. Quis hic non colligat illam rem inflammabilem latere, quam quaerimus? Et servavit eam nobis, si me audis, Plin. H. N. XXIV, 17, 101. *Ab eodem Pythagora aproxis appellatur herba, cuius radix e longinquo concipiat ignes, ut naphtha.* Nihil, inquam, certius est, quam Helmstadiensis *aprodas* una mutata littera Plinii *aproxas* esse. Quam vocem amplexus sic lego:

Non arida sorbet

Gramina, non tenues lentissimus urit aproxas.

lentis sumus transierat in *plantis humus*, quod retinens Helmst. rursus nobis veri viam aperit. *lentissimum* cur ignem in hoc quidem tenore nominarit, explicatione non indiget. Wernsd. legit:

Gramina, non plantis exuritur humor apricis.

Sed praeter alias causas, *apricarum* plantarum hic non video qui locus detur. Quid, si ne fieri quidem rem nostram sacram in *aprico* contendo? Sed in spelunca? Quid, in spelunca? Mihi crede, sic habet; vel potius his crede testibus. Grat. Cyneg. inde a v. 430. haec habet:

*Est in Trinacria specus ingens rupe, caviq̄ue
Introrsus reductus, circum atrae moenia silvae
Alta premunt, ruptiq̄ue ambustis faucibus amnes,
Vulcano conducta domus etc.*

(v. 441) — *ter quisque vocant, ter pinguia libant
Thura foco; struitur ramis felicibus ara.
Hic (dictu mirum atq̄ue alias ignobile monstrum)
Adversis specubus, ruptoque e pectore montis
Venit, ovans Austris, et multo flumine flammae
Emicat; ipse manu ramum pallente sacerdos
Termitum quatiens: Procul hinc extorribus ire etc.*

(v. 457) *Deus illam molliter aram
Lambit et ipse suos ubi contigit ignis honores
Defugit ab sacris, rursumque reconditur antro.*

Nonne haec ubique cum Lucilio concinunt? Habes lustrationem, sacrificium, flammam innoxiam rapti, quam unice Lucil. exquirat. Nam quod ille ad ornatu poëmatici Deum inducit, hic ad ignis naturam aperiendam tanquam philosophus aliter orationem convertit, non in re discrimen, sed in fine ponendum est. Huic adde, quem illic attulit Vlitius Solinum: *Nec longe inde collis Vulcanius; (Aetnam dici Aelianus probat, cf. Vlit. ad Grat. 430) in quo qui divinae rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem. quum proficias intulerunt, si adest deus, si sacrum probatur, sarmenta licet viridia, ignem sponte concipiunt, et nullo inflagrante halita ab ipso numine fit accendium. Ibi epulantes (bene Vlit. operantes) adludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit etc.* Quod, quaeso, aliud poterat ignis per se invalidi exemplum clarius afferre? quod aptius? In ipso enim monte Aetna, ubi plurima miracula patent, ut ipse ait, haec etiam erant; atque hunc non modo ornatu sed documentu verissimum omisisse eum unquam verisimile erit? Neque vero omisit. Nam lustrationem praeteriens modo attingit, sacrificium uberius describit, et quae in hoc mira sint, exponit. quae quum non in omni sacro accidant, de uno et certo debent intelligi. Atque hic revoces in memoriam, quae ad v. 340 sqq. demonstravi, non de

sacrificiis in ipso montis cacumine posse accipi. Habes tamen *hiatum* i. e. specus, habes regionem in alto sitam i. e. collem vulcanium, (*turrin Philosophi* antiquiores putabant ad illud templum referri) habes etiam placantes numina thure; sunt enim pecudum morbi deprecandi. Nam summa iuga non magis de ipso Aetnae vertice interpretari cogimur, quam apud Virgil. *Culic.* 41.

*Ignæus Aetnaeus iam Sol penetraverat arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat;
Propulit e stabulis ad pabula laeta capellas
Pastor et excelsi montis iuga summa petivit.*

Aetnaeas, quod contra omnium Codd. fidem in aethereas mutarunt, omnino nequit omitti. Ergo quum tot vestigia tam alteque impressa nos ducant, quid ulterius quaeremus? Itaque edico, esse v. 340 — 343. ante v. 352. apponendos, inter utrosque autem versus eos excidisse, qui sententiam complerent; numero fere quinque fuisse in Praefat. exposui. Propter illam lacunam vs. 353 et 54. ipsos laceros attingere nolui; sed qualem quidem interpretationem admittunt, eam in versione proposui; Scal. hanc apposuit:

v. 353) *Verberat ora.* Lege: *ora.* Rerpercutit ora nostra, et cogit incursare corpora eorum, ad quos accedit facis agitatae aura. Hoc sane experimur quotidie verum esse, in pueris a pedibus, qui noctu faces accendunt heris suis. Quum enim languens lumen rotatione facis recreant, tantum aerae excitant, ut circumstantium corpora trepidare faciant, nihil autem proximum urant. id enim non sinit celer et rapida agitatio. Quare et Seneca, quum multa alia ex hoc poemate desumsisset, non abstinuit hac comparatione. *Fax, inquit, agitata ignes restituit, immota torpescit.* SCAL. Ad loci naturam explicandam cf. Breislak *Lehrbuch der Geologie übers.* v. F. K. v. Strombeck, III. p. 574 sqq. quem librum deinde ubique intelligo, quando brevitatis causa nomen scriptoris tantum affero.

v. 357) *Surgit odoratis.* Melius odoratis, propter thuris incensum. Altera probatio. Ignis ararum, tametsi liberrime sursum effertur, tamen innoxius est, neque proximas arborum frondes adurit. SCAL.

v. 358) *innoxia parti*. Scribe, ut etiam nonnulli codices habent: *rapti*; tanta est illi pax, innocens rapinae. Magis placet *fax*, ut et nonnulli habent. SCAL. *Pax innoxia rapti* omnes Codd. habent.

v. 359) *Sive peregrinis agitur, propriisque etc.* Scribe:

*Sive peregrinis igitur propriisque potentes
Coniurant animi causis —.*

Est concessio, *συγγώρησις ἀλλ' εἶεν*. Ut et habet ille spiritus, sive ab ipso fundo Aetnae, sive a peregrinis causis aliunde excitetur; certum est, ex violentia ac impetu spiritus inter se collidi saxa, et postea ignes excudere: ut in silvis, inquit, evenire solet. Nam arboribus inter se ventorum vi colluctantibus, ex gravissimo illo flictu saepe ignes exprimuntur. Id quod postea exemplis confirmabit. SCAL. Potius: sive igitur sponte moventur spiritus, sive coacti; vide quae supra monuimus; rursus Senecae auctoritati concedit.

v. 360) *Interpunge post ignis*. Illa, inquit, est vis ignis, unde, unde erumpit. SCAL.

v. 361) *atras*. Scribe *atra*. *Atra arena*. Infra: *atque atra sonant examina arenas*. SCAL. *Subvectat* Cod. H. et 3. lectio vulgatae *subvertit* praeferranda fuit; quum propter maiorem Codd. auctoritatem, tum propter limatius genus loquendi, *subvertit* enim tantum ima summa fieri proponit, *subvectat* impetum describit, quem hic quaerimus. de *atra* hac arena cf. Breislak. III. pag. 125. et Dolomieu Catalogue raisonné des laves de l'Etna vers. germ. ad Calcem eiusdem: Bemerkungen über die Ponza-Inseln. pag. 278 sqq.

v. 362) Etiam hic, ut plerumque *trepidandi* et *crepitandi* verba confusa esse videmus. cur enim *trepidantia* saxa induxerit, vix dicas, sed *crepitare* ait, ut terrorem augeat et vim ventorum extollat, a quibus iste mugitus et fragor excitatur. Est autem crepitus de rerum durarum concursu vox propria; sic dentes crepitant, ossa, grando, arma, lapilli. unum Plin. afferam, qui postquam de sono sub terra vario pro varia materia, in qua se exercet, locutus est, *crepitum* in duris plerumque habet, II, 81. *Intremant*

vero et in navibus posita aequae quam in aedificiis, crepituque praenunciant. 82. Tutissimum est, quum vibrat crispante aedificiorum crepitu. 83. Montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes. Eandem vocem Tibullo II, 2, 17. reddendam censeo, ubi *trepidantibus alis* nescio an omini fausto apposite dicatur. — Praeterea insigne hic versus testimonium habet, quantopere vulgarem verborum ordinem Lucil fugerit; cur enim non scripsit: *Vastaque concursus crepitantia saxa fragore?* vel: *Vastaque concurrant crepitantia saxa fragore?* Nunc concursu fragoris maluit homo mirus.

v. 363) *Flumina* vere Vlit. correxit ad Grat. Cyneg. 445., non tam verus interpret quam coniectator; non abludit Brant ed. *flamina* exhibens. Breviter hic suo more Lucilius in ornando poemate accurate simul enumerat omnes incendii partes; arenas et cineres, saxa ardentia, flammam et fulgura, denique igneum lapidis molaris *flumen*. ac recepi ex Cod. H. et 2., quae grandiloquentiam adiuvat.

v. 364) Hoc Lucretius ante dixerat, ut Lib. I.
At saepe in magnis fit montibus, inquit, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa ferantur,
Inter se validis facere id cogentibus Austris,
Donec fulserunt flammam fulgore coorto.

Item Lib. V.

Et ramosa tamen, quum ventis pulsa vacillans
Aestuat in ramos incumbens arboris arbos.
Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammam fervidus ardor
Mutua dum inter se rami stirpesque feruntur.

Thucydides: "Ἡδὴ γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπὲρ ἀνέμων πρὸς αὐτὴν ἀπὸ ταυτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ὑπὲρ αὐτοῦ ἀνήκε. Eiusdem notae ait Plinius: *Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomentis.* Eius rei inventum attribuitur Mercurio in hymno ad eum:

Σὺν δ' ἐφόρει ξύλα πολλὰ, πυρὸς δ' ἐπεμαίετο τέχνην.
 Δάφνης ἀγ' ἄλὸν ὄζον ἔλαιον ἐπέλεψε σιδήρῳ,
 Ἄρμενον ἐν παλάμῃ, ἀνὰ δ' ἄμπνυτο θερμοῦς αὐτμήν.
 Ἐρμῆς τοι πρῶτιστα πυρῆϊα πῦρ τ' ἀνέδωκε.

N

Eodem modo Vestales Virgines Sacrum ignem extinctum reparabant. Festus: *Ignis Vestae si quando extinctus esset, Virgines verbis afficiebantur a Pontifice. Quibus mos erat, tabulam felicitatis materiae tam diu terere, quousque conceptum ignem cribro aeneo virgo in aedem ferret. Quamquam corrigendum illum locum puto, quibus mos erat clavulam felicitatis materiae tam diu terere etc. Nam atteritur lignum ligno, qui inde excudatur ignis. Quid sit clavula, vel clavola, non ignorant, qui auctores Rei Rusticae legerunt. Est autem Graecis σκῦταλον, ὑποκοριστικῶς a clava. Cato mateolam vocat. Poterat et legi taleam. Sed prior emendatio mutanda non est. SCAL.*

v. 366) *Hac serpunt. Lege: et serpunt. Tamen, ut verum fatear, non puto eam esse lectionem legitimam, sed conflata fuisse ex hac vitiosa scribendi consuetudine exsculpunt, hoc est, ἐκθλίβουσι, excudunt, extundunt:*

Ut varias usus meditando extunderet artes.

SCAL. Verius ac ex Codd. haec vel hac Wernsd. scribit, quem sequor. Recte autem suspicatus est Scal. in voce *serpenti* latere vitium; nam hic non *serpunt* flammae, sed summa incendiorum velocitate integrae silvae consumuntur; (cf. ad exempla Scaligeri ad v. 264. Manil. I, 855 sqq.) uti neque Aetnae sensim ac tarde, sed subito vires crescunt. Neque tamen probo, quod nobis proponit: *exsculpunt*. aegre enim coniunctione caremus; neque *exsculpere* facile de attritu silvarum dicatur, sed de ictu lapidum. neque iam incendii initia et origines sed fervorem comparat. Itaque repone:

Implicitae ac fervent vinctis incendia ramis.

vinctis ex Cod. H. assumsi. Litterae spirantis *f* et *v* aliarumque repetitio vel maxime iuvat orationis fervorem, quod annominationis genus mire ament, velut Plaut. Amphitr. I, 1, 77.

— *ferro ferit, tela frangunt, boat*

Coelum fremitu virum, ex spiritu atque anhelitu

Nebula constat, cadunt vulneris vi et virium,

Denique, ut voluimus, nostra superat manus,

Hostes crebri cadunt, nostri contra ingruunt,

Vicinus vi feroces.

et Attius apud Cic. de Nat. Deor. II, 35.

Fremebunda ex alto ingenti sonitu et spirita

Prae se undas volvit, vortices vi suscitatur.

Et Ennius in Cic. Tuseul. III, 19.

Haec omnia vidi inflammari.

Priami vi vitam evitari.

Ut innumeros alios omittam; nam oratores quoque in exeuntibus maxime periodis hunc sonum ambiunt.

v. 367) Simile transitionis genus apud Ovid. habes Am. I, 8, 65.

Nec te decipiant veteris quinquatria cerae.

et Prop. I, 9, 35. *Nec te decipiat, quod sit satis ira parata.* De sententia compara supra v. 20. Strabo VI. pag. 189, 42. Aelian. V. H. VIII, 11.

v. 369) Malo: *ut reparent.* SCAL. Diu quaesivi, cur *reparent* maluerit Scal. Sed nihil me scire confiteor. utrumque latine dici, probatione non indiget. *rapiunt* autem praefero, et quia supra v. 92. *rapax sibi congerat ignes* legitur, et quia penuriae notio, quasi de raptu Aetna viveret, vix tollenda videbatur.

v. 370) *Nefas τὸ ἀδύνατον.* Horat. *Quidquid corrigere est nefas.* Graecis ἀθέμιτον saepe est ἀδύνατον, ut Euripidi οὐ θέμις. Et Plutarchus in Paulo: *θεμιτὸν οὐκ ἔστι μὴ βάλλοντα κατενοτοχεῖν.* SCAL. *Animi* ex Cod. H. et 3. pro vulgata *animis* scripsi. *Nefas* malo de offenso Numine divino interpretari.

v. 372) *Nec parvas.* Melius antiquae Edd. *nec parvo mendicat.* Lego totum versum ita: *Nec parvo emendicat opes, neque conrogat auras.* SCAL. *Parvo* omnes Codd. *corrogat* autem H. et 3. recte scribunt.

v. 373) *Praesto sunt operi.* Lege etiam ex antiquitus excusis: *Praesto sunt operae* etc. Eleganter ventorum examina vocat *opbras*, tanquam fabriles operas aut rusticas. SCAL. *operas* Codd. lectione firmatur. ipsi Lucilio sunt fabriles operae v. 561.

v. 374) *Causa latet, quaerunt pariter.* Locus pessime acceptus, qui sine dubio ita legendus est:

Causa latet, quae rumpat iter, cogatque morari.

Rumpere iter etiam Horatio: *rumpat aut serpens iter institutum*. Dixit causam certam latere; nam, ut dubius, multas eius rei causas reddit. Quamquam nonnullae edd. habent, *causa patet*. SCAL. Palmaria Scal. emendatio meo praeconio non indiget; *cogaturque* Cod. H. servat.

v. 377) *Sub pondere praesto est*. Legendum fortasse: *sub pondere pars stat*; vel, *sub pondere restat*. Nam proclivia ruentis tecti pondera tandiu devolvuntur in ruinam, donec in stabili consistere. SCAL. — v. 378. Ita legitur in antiquitus excusis:

*Haud secus ac teneros, cum sicco frigida monti
Desudat.*

Ego lego:

*Haud secus ac cernens, quum sicca frigida monti
Desudat.*

Haud aliter, inquit, ac quum desudat et liquata percolatur de monte congeries illa, scilicet, *cernens*, hoc est, minutatim cribrata; ut infra *fluctus succernens*, eodem modo. Metaphora a fursoriis. Nam dum accenditur ignis, coquitur metallum; ubi fundendum est et liquandum, remouentur fomenta ignis. Ergo frigidam congeriem vocat, quum elanguit ignis, et desudat, hoc est, colatur materia. Hic sane verus est huius loci sensus. SCAL. De utroque versu simul tractandum est. Parum feliciter Scaligeri emendationem cessisse, in tanta lectionis pravitate, facilem excusationem habet. neque reliquorum vel mutationes vel interpretationes proferre attinet. Nos speramus omnem difficultatem penitus expedisce. Ac primum quidem in versu 377.

Et scisso veluti tecto sub pondere praestat. *scisso* statim falsitatis arguitur. Nam si tectum *scinditur*, non restant et continentur venti, sed effugiunt et dissipantur, quod deinde faciunt, v. 381.

Pellunt oppositi moles ac vincula rumpunt.

Itaque quum per tectum scissum delapsos Aetnae fornices intelligere nos iubent, nihil agunt. nam primum *scisso* non hoc potest significare, siquidem se rimae aperiunt etiam sine ruina. deinde ne egemus quidem novis ruinis, qui *congeriem magnis ruinis exstructam vias claudere* iam dudum didicerimus. porro *veluti tectum*

comparationem inducit, quae nulla est; ex illorum quidem interpretatione. Nos Cod. 3. maxime vestigia secuti *Estigso* peccantis

Et spisso veluti tecto

reponimus: *Veluti sub spisso tecto saxorum congeries ventos coerces.* Quamquam fortasse erunt, qui *caeco* maluerint; quod, antequam Cod. 3. inspicere liceret, scribendum putabam, propter edd. scriptionem, *sicco*, *succum*, (non correctionum indolem prae se ferentem), quae huc nos dirigebat; atque ita Lucanus loquitur V, 260.

Quis latet hic superum? quum nunon ab aethere pressum

Dignatur caecas inclusum habitare cavernas.

cf. Ovid. *Metam.* XV, 299 sqq. Iam multum adepti sumus, vel potius res omnis transacta est. Nam scimus orationem continuari, congeriemque esse totius enunciati, quod vocant, *subiectum*. Ergo, quamquam Codd. *praestat* vitiosum est, non tamen erit *restat* scribendum. Nimirum verbum *pressare* reducendum est. Uti apud Tibull. III, 4, 22. *praessit*, sic hic erat *praessās* exaratum, quod in errorem illum scribas induxerat. Nunc accipe, quo res deducta sit:

Magnis exstructa ruinis

Congeries, clauditque vias luctamine ab imo,

Et spisso veluti tecto sub pondere pressans.

Sententiam iuvat Incerti *Eleg.* de Fortunae vicissit. 80.

Callidus internis se spiritus ingerit antris,

Quum posita rupes sic gravis arce iacet.

Hinc iam possumus in malam rem abire iubere malum correctorum inventum: *Haud secus ac* etc. quod a Cod. 2. propagatum in omnes odd. irrepsit. Veram lectionem Helmstadiensi debemus, quae, ut par est, non novam comparisonem incipit, sed inchoatam sententiam absolvit:

Haud similis teneros cur se cum frigida monti.

Nam nullo negotio sic hunc versum omnes prudentes legunt:

Haud sinit hiscere eos cursu; tum frigida monti

Desidia est.

Egregie hanc emendationem postea ab Cod. 3. adiuvari vidimus: *Haud sitis teneros.* Quam proxime accedat mea lectio ad Codd. scripturam, ex simili errore disce apud Lucret. IV, 64.

Quam quae tenuia sint, hiscendi est nulla potestas.

ubi Codd. variant inter: *sint ostendit, ostendi est, ostendi.* *Hiscere* proprie dici de magno et audaci inceptu, unde reges hiscere se Prop. dixerit, quem doceam? cf. tamen Hemsterh. ap. Joh. Schrader. Emendatt. p. 148. De ventis autem dici optime et per se intelligitur, neque sua auctoritate privetur, Stat. Theb. VII, 36.

Praetentaque coslo

Agmina nimborum, primique Aquilonis hiatus

In diversa ferunt.

cf. Prop. I, 5, 2. Ovid. Metam. XI, 566. utrumque oratione nostri loci simili utentem. — *Desidia est*, Codd. lectionem, retinendum esse, priora evincunt; adde Stat. Silv. IV, 6, 30.

Namque haec, quoties chelyn exiit ille,

Desidia est.

v. 379) *Tutoque licet discedere montes. Discedere montes* esset, ut *discedere terras* Senecae, et *discedere coelum* Ciceronis. *Esset* itaque haec mens poetae: quum tuto partes montis erosi ruunt, subducentibus sensim se partibus, quae ruentes exciperent. Sed non ita est. Nam de ventis agit, non de montis vitiosis partibus. Quare lego:

tutoque licet discedere ovantes.

hoc est, quum liberum aditum habent venti. Nam sequitur: *Post ubi continuere moram.* SCAL. Egregie nos iuvat in hoc versu refingendo et Scal. et Wernsdorfii correctio. hic ita scribit:

retroque liquet discedere ventos.

Nam *ventos* non *montes* haud dubie sententia flagitat. Sed minus feliciter reliqua restitutio cessit. Nam venti non discedunt, sed otiantur. cf. vs. sq. vera scriptio haec est:

Desidia est; tutoque licet desiderare ventis.

ventis ad *montis* proxime accedit. *desidere* autem, *descendere, discedere*, ubique mutari, adeo ut nobis electis data paene sit, quam velimus assumere, multi notarunt, cf. Benth. ad Hor. Epp. I, 16, 7. et Huschk. ad Tibull. I, 2, 19. et ipsi experti in Lucilio sumus v. 103. cf. v. 476. Eiusdem vocis repetitio, quantopere a nostro ametur, haud semel ostendimus, cf. v. 80. *Sollicitant* — *sollicitant*; *emergit* — *mergit*; *trahit* — *contrahit*; *premit* — *pre-*

miturque; putas — putas v. 553. Neque id a nostro loco alienum esse, ipse vides. Cui adde ingeniosam Lachmanni observationem de variato in verborum repetitione accentu ad Prop. II, 3, 43.

v. 380) *Mora* ex Codd. H. et 3. ipsa Lucilii manus est. *Continere* pro *se* continere, ut apud Lucret. VI, 518.

*At retinere diu pluviae longumque morari
Consuerunt.*

v. 381) *Oppositi* Cod. H. et 3: nimium quantum doctius proferunt pro vulgato *oppositas*. Hic ventos habes adnites et quasi opposito humero propulsantes spissa ruinarum tecta.

v. 383) Verisimile est, pro *operata*, *onerata* scribi debere. (cf. Bentl. ad Hor. Carm. III, 14, 6. et Gesner. Thesaur.) Non enim *operata* vis ventorum ruinas est, sed *ruinarum congeriem* propulsatam tanquam leve onus proturbat et aufert. similiter v. 467. *onerosa incendia raptis* vocantur.

v. 385) *Si cessant a rure*. Nihil magis rusticum hoc *rure*. Nam quid habebant in animo, qui hoc mutarunt? Quid aliud erat, quam, ut Catullus ait, pleni ruris et inficetiarum? Veteres formis excusi recte habent, *si cessant a iure*. Tralalitie dixit ventos remittere a iure suo, quum cessant, quomodo et Cicero saepe loquitur. Quin et eodem modo Seneca, de spiritu loquens. *Salvit enim quodcumque vinculum, et omne onus fert secum, infususque per minima laxamenta superat, indomita naturae potentia liber; at utique quum concitator ius suum sibi vindicat. Quum igitur, inquit, cessant venti, auferunt simul spectacula; hoc est, cogunt cessare ignes illos, quos mirabundi spectamus. Ferunt ut Virgil. Omnia fert aetas.* SCAL. Codd. omnes *a iure* habent.

v. 386) Legendum ita:

*Nunc superent, quaecumque regunt incendia silvae,
Quae flammis alimenta vocent, quod nutriat Aetnam,
Incendi poterunt.*

Si superet, inquit, materia igni et id genus alimenti, quo incendium nutriri potest; tunc flammae vivunt, quamdiu materia suppetit. In veteribus excusis legitur. *Quae flammis alimenta vocent.* Non male legeretur: *quae flammis alimenta vacent.* SCAL. Scali-

gerum hic a vero aberrasse, ipse Lucilius probat v. 367. *Nec te desipiant stolidi menducia vulgi* etc. Digna tamen est, quae pluribus iactetur Wernsdorfii lectio et explicatio:

*Nunc superant, quaecunque regant incendia silvae,
Quas flammis alimenta vacent, quid nutriet Aetnam.
Incendi patiens illis vernacula caulis
Materia etc.*

i. e. Nunc superest docere, quae materiae inflammabiles Aetnam nutriant. Est enim adeo blanda haec interpretatio et speciosa, ut paene doleam, quod accipi nequeat. Unum factum nolim. Inficitas Goralli *caulas* recipere non debebat. Omnis mons et intra et extra his materiis abundat; de quo infra videbimus; nunc conferre sufficet v. 396. quid *causae* significant, ad vs. 151. attingimus. Sed ad graviora redeamus. Cur improbari debuit Wernsdorfii ratio, haec in causa sunt: *Nunc superant* pertinet ad eandem particulam vs. 390 sq. his repetitam:

*Uritur assidue calidus nunc sulfuris humor,
Nunc spissus crebro etc.*

Haec oratio, maxime autem, ut illic docebitur, vs. 391., probat, poetarum ratione hic Lucilium ad materiae inflammabilis doctrinam ita transire, ut unam aliquam et singularem actionem ac quasi scenam pro rerum naturae forma ipsa describat. Ergo *Nunc superant*, quod huius descriptionis initium facit, non potest doctrinae professionem continere. Pertinet potius ad vs. praecedentem hoc sensu: Si venti cessant, summa montem quies occupat; *nunc* autem vincunt moram et obstacula, *nunc* incendi omnia poterunt, *nunc* flammis liquefactum sulfur defluit, etc. Ita fere Prop. IV, 4, [III, 5] 25. scrutaturum se profitetur:

*Unde salo superant venti, quid flamine captet
Eurus et in nubes unde perennis aqua.*

Praeterea haec monenda sunt. *Regunt* vitiosum est. Indicaret enim imperium incendiorum penes flammam esse; pariter ut apud Virgil. *Dum spiritus hos regit artus*; parere autem flammam abunde scimus. Neque longe lectio vera quaerenda est. Scribe:

quaecunque tegunt incendia silvae.

tecti ignes utroque sensu noti sunt. ita Senec. Med. 824.

Dedit et tonni sulfure tectos

Malciber ignes.

Quamquam Ieverus, (quem si Vaeverum nominaveris, omen cum nomine habebit) nescio ubi ad Lucanum etiam hunc locum contractavit. Ipse Lucilius *custodiam flammam* infra v. 399. et *tutelam* nominat. Deinde *flammam alimenta vocent* ex Codd. H. (nocent peccante) et 3. dedimus, cf. v. 247. pariter: *quid nutrit Aetna* omnium Codd. lectio explicationem aspernatur. cf. Bentl. ad Horat. Carm. IV, 15, 18. et si tanti est, adde Claudian. R. Pr. II, 295.

Quidquid alit tellus, quidquid salis aequora verrunt,

Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes.

de materia *vernacula* similiter Orosius V, 6. (afferente Cluver. in Sicil. ant. p. 105.) *qui (ignes) torrentum modo per prona praecipitantes proxima quaeque corripientibus exassere flammis, longinquiora autem favillis calidis cum vapore gravi late volitantibus torruerunt. quod Siciliae semper vernaculum genus monstri non portendere malum adsolet, sed inferre.* de bitumine Aetnae cf. Breislak. III. p. 42.

v. 391) *Praebetur vimine succus.* Eleganter. Percolatur, *διηθείται*. Et dixit, *praebetur*, ut ostendat perpetuo suppeditari materiam. *Vimen* vero *tralatitiae ἡθμός, ὑλιστήρ*. Pro quovis enim textu, et eo quod Graeci *πλέγμα* dicunt, sumebant veteres. Manilius:

Incautosque trahant macularum vimine thunnos.

Nam non nassas, sed retia ipsa intelligit. Quin et Virgilius id quod cratis formam habet, ita vocat:

Arbutis texunt virgis et vimine querno.

Item in Ithyphallico:

Tectam vimine iunceo, caricisque manipulis.

Crebram est *πολύσπον*. Plautus: *cribro crebrius*. *Spissus succus* est lentor, *ἢ γλισχροτήρ*, vel potius *λαπαρότης*, ut magis aptum ad torrendum ostendat. Sic paullo post:

in pingui fervent incendia succo.

SCAL. Nihil de reliquis Scal. interpretationis partibus dico. unum ex eo quaeram; quis et qualis ille succus sit, qui hic praebetur (nam illa quae proposuit, vides, quantum efficiant.). idemque ad

reliquos pertinebit, qui Vlitii (ad Græt. Cyneg. 430.) coniecturam hanc amplexi sunt:

*Uritur assiduo calidus nunc sulfaris humor,
Nunc spissus crebro praebetur flumine succus,
Pingue bitumen adest, et quidquid comminus acres
Irritat flammæ; illius corporis Aetna est.*

Vides enumerari materias singulas singulis versibus; ergo dic, qui sit ille *succus*. ex descriptione eius nomen inveniri non posse, omnes concedunt; nemo enim protulit. sed *nomine* opus est. non ergo concludamus, in voce ea, in qua explicanda et corrigenda interpretes, depravanda Codd. nihil intactum reliquisse videntur, ipsum illud nomen latere, quod aegre desideramus? *Alumen* est. En tibi Vitruvium II, 6. *Quod sub his montibus et terrae ferventes sunt et fontes crebri, qui non essent, si non in imo haberent aut de sulfure, aut alumine aut bitumine ardentis maximos fontes.* VIII, 3. *Haec autem a natura perficiuntur his rationibus; quum in imo per alumen aut bitumen seu sulfur ignis excitatur, ardere percan- defacit terram, quae est circa se.* VIII, 7. *Item calores, unde etiam sulfur, alumen, bitumen nascitur, aërisque spiritus inanis etc.* Loquitur de Puteolorum agro, de quo cf. Stollberg's Reise nach Italien etc. Tom. III. p. 15 sqq. Quid? satisne tibi factum est? Sed non sic abieris, et paullo diutius in pulchra inventionem morabimur. Audiamus enim, quid harum rerum periti nos doceant. Deodat. de Delomieu in: Reise nach den Lipar. Inseln vërs. german. per L. Christ. Lichtenberg p. 21. haec habet: *Die weiße Farbe der inneren Wände des brennenden Kraters ist die Wirkung der schwefelsauren Dämpfe, die die Lava durchdringen und verändern, und durch ihre Verbindung mit dem thonigten Grundstoffe den Alaun bilden, den man aus Vulcanischen Stoffen erhält.* Nunc demum penitus doctum poetam intelligimus. Nunc illustre est, cur *nunc fluit sulfur, nunc aluminis succus praebetur* coniunxerit. solutum scilicet et liquefactum sulfur quum terram figuralem nactum est, alumen gignit. Nunc videmus, quam vera mea superiorum versuum contra Wernsdorfium explicatio fuerit. Hinc etiam ipse Lucilius alio loco minus intellectus lucem accipit, simulque correctionem firmat v. 513.

Commistum lenta flagrare bitumino sulfur;

Nam posse exustam cretam quoque robora fundi,

Et figulos huic esse fidem.

Quid enim apertius, quam exustam cretam, cuius robora fundantur, *argillam* esse, quae aluminis succo diffuat? Nec vero magnopere laboraremus, si in hoc monte alumen non inveniretur; nam quoties *pumicis* eruptionem describit, qui tamen nullus in Aetna est? cf. Dolomieu p. 128. Sed, ne Lucilii veracitatem temere laceamus, compara, quae Swinburne passim in suo itinere per Italiam de lato huius vocis usu apud veteres exposuit, et quas causas Breislak. attulit, cur pumices non semper proiciantur, III. pag. 195 sqq. proiecisit tamen Aetnam anno 1787, auctor est Dolomieu Ponza - Inseln pag. 409. De alumine etiam haec habet Borch in libro supra allato pag. 93. *Auf der Seite der Gegenden (des Aetna), wo das Erdreich durch die Laven verbrannt ist, findet sich sehr dichter Alaunschiefer — und zwischen den Laven selbst trifft man hohle Kugeln an, — in deren Höhlungen sich Alaunkristalle angesetzt haben.* Longe luculentius testimonium est Breislakii: III. pag. 98 sqq. Neque inaudita versus immutatione vocem nancisceris; appone ad Cod. Helmst. *numine* seu *uimine* illum semicirculum, qui priorem literae *a* partem scribentibus efficit; habes nomen.

v. 394) *Lego:*

Atque hanc materiam penitus discurrere fontes

Infectos. Rumpunt et aquae radice sub ipsa.

Aquae, infectae scilicet. SCAL. Vulgatam *erumpunt*, quae est in Cod. 2., cuiusque vestigia H. et 3. servant, contra Vlitii coniecturam *evincunt* recte Wernsd. tuitus est.

v. 396) *Quae corpore dura est.* Non audeo priscarum editionum fidem elevare, quae habent: *rubet ipsaque dura est.* A colore et densitate probat. SCAL. *Quae robore dura est* omnibus litteris Cod. 3. habet, et Helmst. eandem lectionem errore occultat. Loquitur poeta de sulfure vivo et alumine (an *bitumen* etiam *terrenum* et *limosum* in Sicilia inveniatur, nescio, Plin. XXX, 15, 50. *liquidi* solum mentionem facit.) tam duris quam lapides sunt, succo tamen alentibus flammam. Vides: *Ac lapides* non conti-

nuare, sed comparare. Hunc esse sensum sequentia patefaciunt: *Quin etiam saxa*, non solum duritie similia saxorum corpora liquefieri pergens. praeterea non *in pingui succo* incendia fervent, sed *pingui succo*, quare, praesertim quum aegre coniunctionem aliquam desideramus, haud dubie reponendum erat:

quae robore dura est,

Ac lapis; at pingui fervent incendia succo.

v. 398) *Quin etiam vario quaedam. Veteres Edd.*

Quin etiam varia quaedam sunt vimine saxa.

Lego: *sub vimine saxa*. Hic quoque, ut supra, *vimine* vocavit, per quod percolantur liquefacta saxa. Ex quibus, ut obriguerunt, fiunt molares lapides; quos et Theophrastus quoque putat ἐν διηθήσεως καὶ ἐκκρίσεως fieri. Sed et Strabonem audi de hoc ita scribentem: ὁ δὲ ῥύαξ, inquit, εἰς τὴν πῆξιν μεταβάλλων ἀπολιθοῦ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς γῆς ἐφ' ἱκανὸν βάθος, ὥστε λατομίας εἶναι χρεῖαν τοῖς ἀποκαλύψαι βουλομένοις τὴν ἐκ τῆς ἀρχῆς ἐπιφάνειαν. τακείσης γὰρ ἐν τοῖς κρατῆρσι τῆς πέτρας, εἴτα ἀναβληθείσης, τὸ ὑπερχυθὲν τῆς κορυφῆς ὑγρὸν πηλὸς ἐστὶ μέλας ῥέων κατὰ τῆς ὄρεινῆς. εἴτα πῆξιν λαβῶν γίνεται λίθος μυλίας. Posidonius quoque, ad eundem, quum de illo insigni incendio Liparæ insulae loqueretur, quod accidisse testatur temporibus suis, quum Flaminius Praetor Siciliam regeret, postea de molari lapide haec addit: πολλαῖς δὲ ἡμέραις ὕστερον ὄρᾶσθαι πηλὸν ἐπανθοῦντα τῇ θαλάσῃ, πολλαχοῦ δὲ καὶ φλόγας ἐκπιπτούσας καὶ καπνοὺς καὶ λιγνύας, ὕστερον δὲ παγῆναι καὶ γενέσθαι τοῖς μυλίας λίθοις δοκίοντα τὸν πάγον. Idcirco divinus Poëta cecinit de Aetna liquefacta saxa sub auras glomerare. Nam, ut diximus, ex illis fit silex, aut molaris lapis. SCAL. Versus difficilis est. Contra Scal. facit, quod lapis molaris v. 400. sequitur; hic ergo alius est quidam. Gorallus *vario sine nomine* scripsit, quod nunc Cod. 3. auctoritate fulcitur *vanae sine nomine* legentis. Non recte. Nam hic ubi materiae inflammabiles enumerantur et describuntur, quae haec esset descriptio? Praesertim quum nomen habeant. Paullo melius Wernsd. *vario sub nomine*. neque tamen satisfacit. nominaret enim lapides, vel describeret

oportebat. Prorsus reiciendam lectionem vs. 530 sqq. demonstrant, licet ipsi vitiosi:

Quia ipsis quaedam Siculi cognomina saxis.

Imposuere phricas, et iam ipso nomine signant.

Fusilium esse notas.

Hoc alterum lapidum genus et unicum est, quod nutrire flammam ait; ergo vario nomine saxa non accipimus. Simul tamen ex his versibus vides, cur nominare lapidem noluerit: castitas sermonis vetabat vocem non latinam indere. Unde facilis suspicio oritur, scriptum esse:

Quin etiam Graio quaedam sub nomine saxa.

Graiorum enim nomen saepe alio librarii flexerunt. Neque tamen ita corrigo. Nam quis nobis probabit, Graecum nomen bilingues Siculos indidisse? De quo postea ad v. 530. dicitur. Deinde in hac etiam scriptura accuratorem Lucilii desidero, qui certe, si nomen edere non licebat, aliud aliquid dedit, quam vanam hanc excusationem. Atque alia occultare videtur. Helmst. *sine nomine*. Ex quo refingo:

Quin etiam vario quaedam sinuamine saxa

Toto monte liquant.

Pro nomine descriptionem dedit lapidum *fusilium*. *sinuamina* enim variis scoriarum flexuris flumini durato simillimarum optime tribui, oculorum testimonium docet. inspicere modo *obsidianum* lapidem, neque, quin hic lapis fusilis, sinuamine vario deflexus accurate describatur, dubitabis. Exemplis huius vocis in Gesner. Thesaur. adde Eleg. de Cupid. Sulpit. Luperc. 37.

Simataeque iacent pando sinuamine nares.

et Sidon. Apoll. Carm. XI, 35. XXII, 147.

v. 399) *Illis custodia flammae*. Ideo vocatus est $\pi\rho\upsilon\tau\eta\varsigma$. Plinius: *Molarem quidam $\pi\rho\upsilon\tau\eta\varsigma$ vocant, quoniam sit plurimus ignis illi*. Sequentia autem sic legito:

Sed maxima quippe molaris

Illius incendi lapidis sibi vindicat Aetnam.

Vult enim maxima parte Aetnam ex illo lapide constare, quod verum est. SCAL.

v. 400) Cod. H. et 3. lectio *lapis sic mihi haud dubie hanc scripturam continere videbatur:*

Illius incendi lapis est, hic vindicat Aetnam.

ut *sic* ex compendio vocis *est* et ommissa aspiratione pronomini conflatum esset. exempla omissi dativi in verbo vindicandi haud pauca sunt: Claudian. Cons. IV. Honor. 131, 384. Epigr. 7, 5. Auson. Idyll. V, 24. Senec. Herc. fur. 1169. Eiusdem quod fertur Epigr. in invidum. Lucan. I, 409. VIII, 675. II, 460. Prop. IV, 8 [III, 9] 12 et 16. (cuius versus praecedens: *Phidiaeus signo se Iuppiter ornat eburno*. Eboris ornatu et arte Iovis Phidiae signum nobile esse docet. In ebore fingendo summam Phidiae artem fuisse Senec. Ep. 85. probat, cf. Iuvenal. Sat. 13, 103. Martial. IV, 39, 4.) — nemini tamen haec ommissio magis usurpatur, quam Ovidio.

v. 402) Vulgo legunt: *Quem si forte manu teneas ac robora cernas*. Sed *si forte* indicativum postulare, iam Priscianus docuit, et servant scriptores, quod alio loco probaturus sum. Hic videmus prorsus ieiunum esse: *manu tenere*; dicit potius: *si forte pondus eius lapidis manu expendens a robore iudicas, non servare putes ignes: erat itaque scribendum:*

Quem si forte manu tentans a robore cernis; robore omnes Codd. a 3. servavit. tenere et tentari misceri Wakef. testatur ad Lucret. III, 313. Pondus tentamus, ut iras, venas, alia omnia; manu tentare Albinovanus habet de Morte Drusi v. 327.

Et subito tentasque manu, sperasque receptum.

v. 403) *Nec fervere* ex Codd. H. et 3. utroque *fruere* ommissa littera *e* prima peccante, recipere nunquam dubitavi pro vulgata *servare* (quod an 2. habeat, non affirmo). Nam *ignes servare* lapides, maximeque pyriten, minime ignotum; posse *liqueescere* et gravius erat et ad locum hunc aptius. Quid, quod paene subabsurdum est: *Nec habet lapis ignem, nec dare potest*. Fortasse reprehendar, quod non simul *passim* ex Cod. 3. rescripserim.

v. 404) Plinius: *Pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habens ignis, quos vivos appellamus, et ponderosissimi sunt. Hi exploratoribus castrorum maxime necessarii, qui*

clavo vel altero lapide percussis scintillas edunt; quas exceptas sulfuratis, aut fungis aridis, vel foliis, dicto celerius ignem trahunt.

SCAL. *Quaeras* Codd. nos iterum coniunctivum, unde venit, eo dimittimus, *quaeris* scribentes. Per Chiasmum, pertinet ad: *ignes spargere posse.*

v. 405) *Felicius mihi videor veram Lucilii scripturam restituisse voce: circumiice*, quam qui sensui magis quam verbis consulentes *circumdare* pro falsa Codd. H. et 3. lectione *circumisse* ediderant. Res minime obscura probatione non indiget.

v. 406) Postquam prioris versus imperativum *circumiice* in infinitivum mutarunt; simul pro *patere* (H. et 3. lectione) *potes* scribendum erat. nos, ut par erat, vocem perperam oblitteratam revocavimus. Vulgo: *Et potes.*

Ibid.) *Robur lapidis, robur ferri*, dixit ut Lucretius, *ferri potestas*. Etiam Graecis *δύναμις σιδήρου*, et Poëtae *μένος χαλκού*. *Exuere* proprium verbum ei rei. Sic alibi:

Et veluti in fornace lapis torretur et omnis

Exiit penitus venis.

Alibi: *Lentitiem plumbi non exiit.* SCAL.

v. 407) Vult probare *τηκτούς* esse silices, modo non leniori sed fortiori igne coquantur. Ita et Symphorius poëta, in suis aenigmatibus, silicem de se loquentem inducit:

Virtus magna mihi duro mollitur ab igne,

Cessantique foco virtus tamen intus adhaeret,

Semper inest in me, sed raro cernitur ignis.

Rationem eius rei mox ipse apponet in sequentibus. SCAL.

v. 409) *Non tutior haustu.* Lege: *Non tutior haustis, ulla domus.* Etiam huius coniecturae vestigia retinent veteres excusi, ubi legitur *hausti*. Simul, inquit, hausit flammam, nulla domus *tutior haustis*; nihil aequè fideliter flammam servat. Nulla domus aut custodia fidelior igni recepto, quam ille lapis, utpote qui minime *σομφός* neque *μανός* sit, sed denso stipatus robore. SCAL. *Haustris* Scaligeri contra Codd. fidem *hausti* praebentium accipere non poteram. Omnibus literis *hausti* habet 2. et H.; 3. *haustu*. *Haustris* ad flammam referretur, *hausti* generalem sententiam efficit.

fortiorem: nullam haustarum rerum tam fidam custodiam esse, quam ignis pyriten.

v. 410) Vocat aciem τὸ στόμαμα. Sic Plinius de cotibus loquens: *reperita sunt et in Italia, aqua trahentes aciem, acerrimo effecta. Τὸ στομοῦσθαι* Martialis vocat *gestari*. Alii, ut Plinius *rigere*. Ferri rigor τὸ στόμαμα Virgilio. SCAL.

Ibid.) Duramque tenaci. Corrige: *duransque tenaci septa fide.* SCAL. Sic Rutil. Itiner. I, 482.

Ut fixos latices horrida duret humus.
et Albinov. Morte Drusi 113.

Congelat interdum lacrimas duratque tenetque.
qui imitatur Ovid. Metam. XI, 59 sqq. — Similiter Prop. I, 17, [16] 29.

Sit licet et saxo patientior illa Sicano.

v. 411) *Tutum est illi.* Lege: *tanta est illi patientia victo.* SCAL. Rectior, spero, quam Scal. lectio haec videbitur (ex Codd. errore: *fides tutum est:*) *Septa fide est; tuta est illi etc. Est, quod ad servans, duransque pertinet, et in fides latere videbatur, abiicere veritus sum. itemque tuta est propter sequentia retinui ex Codd. tutum est. nam quantumvis, inquit, flammis hic lapis scaeat, tuta tamen eius custodia est: vix umquam redit in vires. i. e. non facile ignem evomit et liquescit. quod cur ita sit, vs. sequentibus probatur. Ex quo simul patet vs. sq. non perdit vires cum Scal. esse scribendum. quod reiecit quidem Wernsd., non tamen recte explicuit redire in vires.*

v. 412) Lege: *vix unquam perdit vires.* SCAL.

v. 413) *Tarde,* quod nobis H. servavit, iam a Wernsd. probatum est.

v. 415) Proposui, ut a Pithoeo, nisi fallor, hic versus correctus est. Codd. tamen omnes: *cunctanterque eadem et pigre accepta*, varie praeterea aberrantes; in quo fortasse hoc latet:

Cunctanterque eadem pyrites accepta remittit.

Quamquam non ignoro, pigre cunctanterque copulari; Lucret. III, 193.

Et pigri latices magis et cunctantior actus.
Similiter cunctanter et languide Plin. Paneg. 30.

v. 416) De magna copia lapidis molaris conspirat Lucret. VI, 683.

Primum totius subcava montis

Est natura, fere silicam suffulta cavernis.

v. 417) *Ille* Cod. H. et 3. *Contra Illa* Cod. 2. bene vel correxit vel scribit; omnis vis orationis frangitur, nisi *illa* i. e. nunc exponenda ad sequentia pertinere putabis.

v. 418) *Lapidis* ex coniectura Anton. de Rooy recepti, quia non lapides molares sunt, sed lapis molaris.

v. 419) *Fertilis igni ἀργαῖκός* dictum. Sic Plautus:

Amor et melle et felle est foecundissimus.

Infra: *et sacro nunquam non fertilis igne.* SCAL. cf. Benth. ad Hor. Carm. II, 6, 19.

v. 421) Ut terrae semen. Sic in Graeca tragoedia *στέκου πυρός*. Pumices intelligit, qui succo carent. Idcirco *sine semine*, tanquam *ἀγόνους*. SCAL. Apparet terram sine semine non ad lapidem molarem, quum est exustus seu pumex; sed ad reliquam materiem referri, velut lignorum; straminis etc.; quae cum lapide molari comparatur.

v. 422) Hic iam in multis edd. recte pro Codd. *Sic* vel *Si* ascribitur:

v. 424) Aut *defectus* legendum, aut quod magis puto, *defaecis*, hoc est *ἀργυρός*, sine faece, exsuctus. Et mihi videtur elegantissime dictum; ut *defrens* pro segete demessa. In vetere Glossario: *Defrens ἀργυρα θραύσθαισα. Frensere est rumpere.* SCAL. Etiam alii versum tentarunt; quos vide apud Wernsd.

v. 425) *Delapsus.* omnino *dilapsus.* Horatius: *Dilapsam in cineres facem.* SCAL. Ego in priori versu omnia recte habere iudicans; hic pro Codd. *arenas*, *arena* scripsi, reliqua interpunctione sanavi. cf. quae notant interpretes ad Plin. H. N. II, 10, 7. *In mucronem deficiat.* Prioris vs. coniecturas Heinsii vide apud Burm. Anthol. II. p. 507.

v. 427) *Materiae nascentis.* Eleganter τὸ γόνιμον *nascons* dixit. SCAL.

v. 428) *Sed genus hoc lapidis. Sed certissima sunt signa et argumenta coloris in lapide hoc genus; hoc est pumice; certissimo inquam, argumento est color ipse, quod nullas adiunxerit opes, hoc est, quod nullo praesidio munitus sit ad reparandas vires suas, ut silex, qui millies liquefactus redit in pristinum ingenium. Pumex ergo Aetnaeus, quum nigerrimus sit, ostendit colore suo, nihil se reliquum fecisse igni; nam quum, ut dixi, niger sit, nihil aliud quam ustus est; ut, si iterum torreatur, totus in cineres dilabatur, ut carbo. At non ita molaris. Quod autem niger sit pumex Aetnaeus testatur et Theophrastus, de pumicibus loquens: διαφορὰς δὲ ἔχουσι πρὸς ἀλλήλας καὶ χρώματι καὶ πυκνότητι καὶ βάρει. χρώματι μὲν, ὅτι μέλαινα ἢ ἐκ τοῦ ὄυακος τοῦ ἐν Σικελίᾳ, καὶ βαρεῖα αὐτῇ καὶ μυλώδης. Ita enim corrigimus in Theophrasto. SCAL. Primo tenendum est, lapidem molarem esse. Lucilio τὸν ὄυακα, cf. Strabo VI. pag. 186. ad vs. 398. et Hillium ad locum Theophrasti apud Scalig. de natura montis Aetnae Breislak. III. pag. 23. pumicem contra esse lapidem molarem excoctum. Nam lapis molaris, ut infra docebimur, non fit ex variorum lapidum concremento, sed talis est ante ignem, qualem nos eum post liquefactum et rursus duratum videmus. Reliquorum rationes nihil moror. Pro et languit v. 429. elanguit scribens, praeterea meliore orationis structura sensum apertissimum proposui. nascens materia, quae lapidi molari, colore infirmitatem prodeunti opponitur, bitumen, alumen, sulfur est. Hic lapis quia deest, sopiti ignes sunt. Atque sic quidem levioribus puto hominibus erit satisfactum. Sed qui meditati semper accedere ad interpretationem solent, longe graviore ulcere terrentur. Cerne, inquit, vs. 426. etiam locis similes cavernas arsisse. Locis, sic narant, est: aliis multis locis. Afferant, qui sic locutus sit. Potius est: locorum natura et indole disce etc. Sed utrovis modo explica. cassa verba sunt: Vide etiam alia loca, sed extincta. Quid agitur? Scilicet enumerantur alia loca quondam ignivoma. Tam cito oblitus, quo pergebas? Probaturus eras, plurimum posse in incendiis lapidem molarem. Nihil ergo huc illa enumeratio pertinet, sed argumentatio, cur desierint ardere. quae etiam postea affertur; eo minus ita perverse induci potuit. Neque melius res eedit, si de locorum natura intelligis, quamquam ad verba rectius.*

Rursus enim, non ut possimus similia loca *cognoscere* laborat, sed cur extincti ignes sint, probare voluit. Atque alia multo graviora sunt. ipse iudicabis: *arsisse* quondam dicit, nunc *extincta* loca esse. atqui ardent *etiamnum* aliae cavernae, quae deinceps ordine recensentur? etiam hoc leve esse dicemus? deinde. *Illic* dicit maior nascentis materiae copia est. Itape vero? Etiam in Aenaria, quae undis extincta est? etiam in Hiera, quae refrigit? quae ab ipsa Aetna copias emendicat? In Cumano autem agro et Strongyle cur ita ambitiose enumerat, quod de omnibus praedicat? Porro: *hic*, *colore* lapidis, multitudine licet abundantis, infirmitatem cognoscimus, infra autem Hiera dives est, et *acrem* habet lapidem, sed multitudine exiguum. Videsne, diversam prorsus locorum naturam et his versibus describi et in omnibus reliquis? Ergo si *locis* aperte vitiosum est, si *Illic* non habet quo referatur, simulque ad loci certi nos naturam his versibus descriptam dirigit, certi etiam loci illius *nomen* cede. Scilicet una alterave demutata litterula integer nobis Vesuvius ablati est. Legendum est enim:

Cerne etiam Nolae similes arsisse cavernas.

Illic materiae nascentis copia maior,

Sed genus hoc lapidis — certissima signa coloris —

Quod nullas adiunxit opes, elanguit ignis.

Diligenter mihi Strabonem lege V. p. 170. *ὑπέρεσται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσοῦιον ἄγροις περιουκόμενον παγκάλως, πλήν τῆς κορυφῆς· αὕτη δ' ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστίν, ἀκαρπὸς δ' ὕλη, ἐκ δὲ τῆς ὄψεως τεφρώδης καὶ κοιλύδας φαίνει σηραγγώδεις πετρῶν αἰθαλωτῶν κατὰ τὴν χρόαν, ὡς ἂν ἐκβεβρωμένων ὑπὸ πυρός. ὡς τεκμαίροιτ' ἂν τις τὸ χῶριον τοῦτο καίεσθαι πρότερον, καὶ ἔξεν κρατῆρας πυρός, σβεσθῆναι δὲ ἐπιλιπούσης τῆς ὕλης.* Nonne haec tamen similis oratio est, ut ipsum Strabonem ante oculos habuisse suspiceris? Etiam Vitruvius eadem plane habet, II, 6. *Non minus etiam memoratur, antiquitus crevisse ardores et abundavisse sub Vesuvio monte, et inde evomuisse se circa agros flammam. Ideoque nunc, qui spongia seu pumex Pompeianus vocatur confectus ex alio genere lapidis, in hanc redactus esse videtur generis qualitatem. Pallere lapidem Vesuvii prae nigro Aetnaeo,*

notum est. Quid, si hæc etiam Strabonis locus effecerit, ut *Nolam* potissimum nominaverit, (quamquam quis reprehendat oppidi nomen, quod proxime monti adiacet? eum maxime montem dico, qui nunc *Monte somma* vocatur, et quem scimus vel uberiorem lapidis molaris copiam habere, quam is, quin nunc ardet, Vesuvius. cf. Swinburne Itin. I. pag. 111.) sed ipse Strabo in causa fuisse videtur, ut *Nolam* eligeret. Hæc enim præcedunt illi loco: *Herculanum*, inquit, *Ναίλης δὲ καὶ Νουκερίας καὶ Ἀγέρων* — ἐπίγειόν ἐστι — ὑπέρεκται δὲ τῶν τόπων τούτων κ. τ. λ. Hæc mihi adeo certa videntur, ut alia argumenta, de patria Lucilii desumpta etc., lubens præteream. Gellii autem VII, 20. locum illum tibi in memoriam revocabo, quo Virgilium Georg II, 224. scripsisse olim narrat:

*Talem dives arat Capua et vicina Vesevo
Nola ingo.*

v. 430) Hæc est mens huius loci: quondam *Aenariam* insulam, de qua et Festus mentionem facit, arsisse ut *Aetnam*; tandem defecisse pumices. Quare τὸ *insidiis* suspectum mihi est. Fortasse legendum *indiciis*; ut ex solis pumicibus nautæ probent, quondam arsisse, et pumices dicantur *indicia* veteris incendii. SCAL. Quantum in his versibus moliti post Scal. VV. DD. sint, apud Wernsd. in tertio ad *Aetnam* Excursu invenies. Verba autem sanissima sunt; versus tamen unus intercidit. Ad verborum defensionem allatus a Wernsd. Plin. H. N. II, 88. unice facit: *In his (Pithecusis) montem Epopon, quum repente flamma ex eo emicuisset, (insidiis flagrans, i. e. non ante, ut Aetha, de futuro incendio incolas admonens) campestri aequatum planitie (hæc pars interiiit). In eadem et oppidum haustum profundo (tectis), alioque motu terræ stagnum emerisso (extincta super hanc partem descriptionis significat). cf. Præfat. et quæ de hac insula Heyne contulit in Excurs. II. ad Virg. Aen. IX.*

v. 431) *Nunc extincta super tectisque. Lege: Nunc extincta superque satisque. SCAL.*

Ibid.) Ita hæc lego:

*Neapolin inter
Et Cumas locus est, multis iam frigidus annis*

*Cuius ab aeterno pinguescens ubere sulfur
In mercem legitur.*

SCAL. Lectio horum versuum qualem proposui ego, omnis e Codd. est, quorum VV. LL. adscripsi; atque vulgata etiam cum ea consentit. Simillimam descriptionem Camporum Phlegr. habes apud Petron. de mutat. Reip. v. 67 sqq. cap. 120.

v. 434) Codd. scripturam *tanto est foecundius Aetna*; Vli-tius ad Grat. Cyneg. 404. ita restituit: *in mercem legitur tantum. foecundior Aetna*. Quem sequor; est tamen ex Codd. retinens, versum distinxi, ut vides; huius locutionis in Lucilio usum frequentissimum non est quod exemplis fulciam.

v. 435) *Rotundae* pro Codd. et edd. *rotunda* iam ante Vlit. Scaliger ad v. 436. correxerat.

v. 436) *Nec obesa cacumino*. Lego: nec obesa cavamine terra est. Lapis, quem dicit regerendis ignibus aptum, hoc est, excudendis, est silex. Ex quo lapide silice partim, partim sulfure Strongylen constare. Ea enim est, cui nomen facies dedit ipsa rotundae; quae tota hodie ardet. SCAL. Etiam si Scaligero concedimus, *obesam esse exesam*, et terram esse lapidem, nihil tamen efficitur, quam lapidem insulae molarem erosum non esse, quod vs. sq. repeteretur: *Et lapis adiutat*; sic enim ex Cod. H. et 3. scribendum fuit. Aliud igitur aliquid circumspiciendum est. *Sulfure non solum*, (ita H. et 3. pro vulg. *Sulfur enim solum*; nisi quod H. *Sulfur peccat*) aperit, *Et v. 437. esse etiam*; apodosin incipere a v. 438. *Sed raro fumat*. Itaque quae praecedunt omnia, foecunditatis descriptionem continent, lapidis molaris, sulfuris, et eius rei quam quaerimus. Quem autem fugit, qua re Strongyle ipsa Aetna foecundior sit? Feracissimam eam Plin. H. N. XXXV, 15, 52. ait esse *alumine*. Atque hoc est reddendum Lucilio, iterum ei ereptum:

Sulfure non solum nec obesa ab alumine terra est,

Et lapis adiutat regerendis ignibus aptus;

Sed raro fumat etc.

Quantum putas me laetatum esse, quum deinde a Codd. H. et 3. hanc emendationem egregie iuvari viderim? ille enim vel *atunino* vel *atimino* hic *acumine* scribens, quam aliam vocem voluisse vi-

dēbuntur? Pro *ab*, quod adiungendum fuit, fortasse alii aliud aliquid melius invenient; ego quum quam minime verba mutare vellem, in hac descriptione substiti. *Alumen* non uni Lucilio subtractum esse, vide apud Ovid. *Ars Am.* III, 629. cui N. Heins. vere hanc vocem restituit pro errore eodem; *acumine*, in *Adversar.* p. 2. Quam prope a vero Vlitius auferit, videbis ad *Grat. Cyneg.* 404. qui praeterea coniicit *Sulfureumque solum*.

v. 437) *Et lapis adcretus. Adcretum lapidem*, hoc est *πυρρόν* opponit pumici, qui est spongiosus, unde nomen habet; nam *spumex* prius dictus fuit. Nihil enim aliud quam spuma et faex quaedam lapidum liquefactorum est, ut scoria aliorum metallorum. *Adcretus* est *ναστός* respectu pumicis, qui est *συμφός* et *μανός*. Semper Plinius *τὸ ναστόν concretum* vocat, ut praeter alios locos, *Quibus*, inquit, *natura sunt concreta ossa, qui sunt rari admodum, cornei vocantur*. Vult dicere, ut obiter Plinium interpreter, qui sunt natura torvi, rigidi et inflexibiles; quos paullo ante *ἀπαθής* a Graecis dici scribit, eis aliquando ossa concreta, hoc est, sine medulla esse, et *corneos* vocari. Ergo licet colligere, cur *corneam fibram* dixerit Persius; nam *τὸν ἀπαθῆ* intelligit. Sic. *Lib. XXXII.* idem Plinius ait *cornea piscatorum corpora* fieri, hoc est, omnium *τῶν ἔξωθεν ἀπαθῆ*, utpote quae sole et sale durata sunt. SCAL. Conf. quae ad vs. praecedentem e Codd. protulimus.

v. 438) *Quin in Cod. 2. vere correctum esse iudicans (qui H. habet, Cod. 3. autem et) recepi; et iam ante me ita scriptum erat. Ad sensum illustrandum facit Dolomieu l. l. p. 128. Hier (in Stromboli) ereignen sich die Auswürfe, ohne dass sie anders als durch Bemerkung der Zwischenzeiten vorhergesehen werden könnten; hier scheint eine entzündete Luft oder Dunst vorhanden zu seyn, der schnell in Flammen geräth, und die Steine in die Höhe sprengt, die sich über seinem Ausgange befinden. Seit langer Zeit wirft dieser Vulkan keine eigentlichen Laven mehr aus.*

v. 440) *Insula durata. Lego: Insula durat adhuc. Vulcaniam* intelligit; etiam pars eius ardet hodie. SCAL. Retinui Scal. emendationem. sed non tanquam veram. Compara modo, quem Gorallus attulit, *Plin. H. N. III, 9, 14. Inter hanc et Siciliam altera antea Therasia appellata, nunc Hiera, quia sacra Vulcano*

est. Quid, quaeso, apertius, quam in vitiosa *durata* Codd. lectione ipsum *Therasias* insulae nomen latere?

Insula Therasia est, Vulcani nomine Sacra,

Pars tamen incendi maior refrixit.

Videsne, quam nunc acuta oratio effecta sit? Alia est, inquit, insula, ipsi Vulcano sacra, et tamen refrixit. Nunc cum Vulgata lege: Etiam nunc Hiera durat, sed ex parte refrixit. Nonne sic ipsius orationis elegantia ex parte refrixit? cf. Aristot. Meteor. II, 8. pag. 800. An illa insula verius *Thermissa* vocetur, non diiudico.

v. 443) Variant hic impressi veteres. Unde suspicari licet, diverse tortum hunc locum fuisse a correctoribus. Practerea non video, quare Liparen minorem dicat, quae et princeps et maxima Aeolidum insularum est. Strabo de Aeoliis insulis: εἰσὶ δὲ ἑπτὰ μὲν τὸν ἀριθμὸν μεγίστη δὲ ἡ Λιπάρα, Κνιδίων ἄποικος ἔγγυτάτω τῆς Σικελίας κειμένη. Quare lego: *quae restat maiorque et dives et ubere terra est.* Divitem et ubere terram esse, auctor est idem Strabo: ἔχει δὲ τὴν γῆν εὐκαρπὸν καὶ στυπτηρίας μετὰλλων πρόσοδον καὶ θερμὰ ὕδατα, καὶ πυρὸς ἀναπνοίας. SCAL. Vera lectio, quam proposui, in H. et 3. est. Iam Góral, monuit, de minore *Hierae* parte versum interpretandum esse.

v. 446) *Ni furtim generet.* A verbo *geno*, quo saepe utuntur Lucretius et Varro. Ulpianus: *si quis mihi filius aut filia genitur, haeres esto.* Recentiores editiones hunc locum, de quo nunc agimus, corruerunt. SCAL. *Adgeneret* Codd. H. et 3. lectio stare non potest propter multas causas. Primum enim et *adgeno* et *adgenero* inauditum est; deinde non generat vel gignit humor ignes, ex doctrina certe Lucilii; nam alios hoc putasse scimus, veluti Iustin. IV, 1, 11. - *Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot seculis tantis ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur.* Denique si iam alit humor, quod non facit, quid hoc ad imminuendam Hieraee gloriam pertinet? eodem etiam humore Aetna sustentabitur? Recte igitur Cod. 2. *adgereret.* Sensus est: *Materiae penuria in hac insula ignis iamdudum exstinctus esset, nisi mare nova nutrimenta adgereret, et venti, ab aequore montium cavernas intrante, per secretos calles agitati ignem seu ignis*

materiam mendicando uodique efflagitarent. Iam per se patet *passeret*, v. 448. Codd. verissimam lectionem pessime in *passeret* transiisse.

v. 447) *Materiam cibamque suam, Ταυτολογία*, nam utrumque est ὕλη. SCAL.

v. 449) *Res ipsa nota est. Est argumentum.* SCAL.

v. 450) *Lege: Pestis. οὐδὲ ἐπιτηδεύει οὐδὲ τεγνάζεται λαθάρειν ἡμῶς.* SCAL. Codd. omnes: *Pestem*, atque eodem res redit: res non tentat, nos pestem fallere.

v. 452) *Efflant recte H. et L. scribunt: Lapidēs candentes e cratere proiecti in ipsa radicibus frigescent et animos efflant, et in venis amnis profluentis ignei nondum exusta saxa passim feruntur, Efflare etiam alii absolute dixerunt. Stat. Theb. VIII, 167.*

Vix magna levare

Vulnera et efflantes libet internectere plagas.

IX, 264.

Illuc luctantur corpora leto,

Efflantesque animas retro premit obuius amnis.

v. 899.

quae vultus efflantiaque ora teneres.

sic vapor *efflat* ibid. X, 109. *Sol languidus efflat* Lucret. V, 651. Hic autem proprie *efflare* de ampullis refrigerantium lapidum, *Venis interire* explicat. Stolberg Reise etc. III. p. 39. *Viele Steine wurden gewälzet von der Lava, wie Kiesel in reisenden Bergströmen.*

v. 455) Quid Codd. peccent, in VV. LL. vides. *Qui iras colligere* interpretantur, esse ignes restinctos et tenues, quod huic sententiae conveniat, loquuntur, quomodo verba rei congruant, velim doceri. Nam *ignes colligere* nihil potest aliud esse, quam *flammas colligere* versu proximo. Mire Silius locutus est IX, 477. qui quum reliqui omnes *iras colligere* usurparint de ira sensim exardescente, contraria tamen significatione posuit; si locus recte habet, dictum est, ut vasa nos colligere etc. loquimur:

Dic etiam: Ni desistis, (nam virus et aestus

Flammiferae noui mentis) nec colligis iram etc.

Nostri loci duplex emendandi via est; aut enim leges:

Cuius defectu ieiunia colligit ignis.

Quo ieiuniis Cod. H. et 2. nos dirigere possit. sed eiusdem verbi colligendi iteratio in vs. proximo, cum hoc nulla ratione coniuncti, nimis ieiuna est; quare verius videbatur, *ieiunos*, ut Cod. 3. habet, tanquam a Lucilio profectum retinere, vitium autem in colligendo quaerere. Sic autem eum scripsisse iudico:

Cuius defectus ieiunos corrigit ignes.

Similiter apud Senec. Ep. 6. *Quidni habeam, quae debeant corrigi, quae extenuari, quae attolli*, alii prave legunt *colligi*. De re egregie tractat Ovid. Metam. XV, 352.

Nempe ubi Terra cibos alimentaquo pinguis flammae

Non dabit, absuntis per longum viribus aevum,

Non foret illa famem, desertaque deseret ignes.

v. 456) *Iacit*, ut recte in edd. est, habet Cod. 3. Aut *flamas* ad *iaciendi* vocem supplebis, aut *iacit* absolute poni dices. Illud nolim. Nam *flamas* iacere esset *flammis splendere*, vel omnino *ardere* velut, Lucret. II, 671. Culex 102. Contra, quid hic agatur, doceat Ovid. Met. XV, 346.

Sive leves imis venti cohibentur in antris,

Saxaque cum saxis et habentem semina flammae

Materiam iactant, ea concipit ictibus ignem etc.

Lapidis inflammati, inquit, ardore dissiliunt, et simul disrupti alios ictu accendunt. Eandem vocem absolute potuit, sed ut sagittae facile suppleri possent, Prop. III, 2, [II, 12] 9.

Et merito hamatis manus est armata sagittis,

Et pharetra ex humero Gnossia utroque iacit.

Sic enim pro *iacet* legendum. Nam quis pharetram *iacentem* vidit *ex humero*, quis *ex utroque*? Neque nos quidquam iuvant coniecturae interpretum, *tacet, latet, tonat*, ut vs. sqq. edocent:

Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,

Nos quisquam ex illo vulnere tutus abit.

Non sanus abit, quia hamatae sagittae sunt, non animadvertimus neque cavemus *iacentem*, quia *utroque iacit*, i. e. in partes diversas. cf. Virg. Georg. III, 332. Ovid. Metam. V, 164. Rem. am. 443. Virg. Aen. V, 469. Sil. VI, 234. Prop. IV, 16, [III, 17] 12. In quo si quis, hoc depingi non posse affirmet, facile concedimus, sed nihil movemur.

v. 458) Primum sic lectionem restituo:

*Haud equidem mirum factu, quod cernimus extra
Si lenitur opus reses, at magis uritur illic,
Sollicitatque magis.*

Quando tempestas Aetnae detumuit, tunc magis nutriri incendium. Quod verum esse colligo ex simili argumento, quum memini me in Scotia videre fossiles illos carbones, quibus omnis emanatio utitur, in usum ligni, per se paulatim accendi minimo ignis adiumento; sufflatione vero nihil profici. SCAL. Dura profecto oratio in opere lenito poëtae placuit, si vera Scaligeri emendatio est: *Non mirum est, si opus quod cernimus extra, reses lenitur.* Ergo in ima sede furit, extra residet opus? ego putabam residere esse penitus quiescere; qui potest reses opus non lenitum esse, sed leniri? praeterea nominativum huius verbi non inveniri, supra vidimus. Multa concurrunt simul, qui coniecturam hanc rejicio. Cur enim nunc ad illud recurrit, extra quietem esse, si furorem Aetna meditetur? In longe alia re nunc quidem versamur? Atque estne nunc opus reses? Ipse Lucilius ait v. 461. *Certaquo venturae praemittit pignora flammae.* Non sane reses est. Quum venti primum terram subeunt, tunc quies extra est; nunc quidem non est; nunc iam lapis molaris ardet, nunc fumus et flammae visuntur, nunc mugitus auditur sub terris et subtrahitur solum. Stolberg. l. I. p. 23. ut omnes alii, haec tradit: *Diese grofse, oft so verwüstende Naturerscheinung meldet sich gewöhnlich durch unterbrochenen, plötzlich hervorgestofsenen schwarzen Dampf, welcher schon mit Asche vermischt, daher dick und trübe ist.* cf. pag. 24 sqq. Non ergo utemur, siquid video, hoc Scaligeri invento, et alia sententia quaerenda est, quae in Codd. *opus restat magis lateat.* Lapis molaris, ait, incensus dissilit; neque mirum est, ex eo quod cernimus extra. Nonne haec clara sunt omnia? Scilicet, ut semper, ita hic imi naturam ex iis, quae extra cernimus, illustrat. Quid autem cernimus?

*Si lenitur opus, crepitat; magis uritur illio,
Sollicitatque magis vicina incendia saxum.*

Etiamsi lenitur ardor et efflant lapides, tamen crepitant; (ut solent saxa, velut aedificiorum incendiis tegulae) atqui in monte hoc

multo magis fieri necesse est. Quid hac emendatione certius esse potest? Si pro *etsi* indicativum non respuere, non est quod doceam; unum afferam locum Prop. I, 10, [9] 33. qui ex Cod. Neapolitano ita legendus est:

Quare, si pudor est, quam primum errata fateri.

Cuius loci sensum primus optime aperuit Lachm. In lectione autem Codd. H. et 3. *fatoque et souts* haud dubis aliud quid latet doctius, quam *factu*, quod interpolatus Cod. 2. habet, ex eoque edd.; quid sit, aliorum acumini trado, ut doceant.

v. 462) *Nam simul atque movet curis.* Pesajme torta lectio; Ego:

Nam simul atque movet curtus, turbatque minutus,

Diffugit, extemploque solum trahit.

Curtos ignes ut infra: *curtis nihil ignibus obstat.* Vocat *ieiunos*, ut ipse paullo ante locutus est, et languentes, quales diximus carbonum fossilium; sunt vero ii subtiliores, quam adulti, et ut ita loquar, ovantes. Nam *curtus* ille ignis inter carbones semisopitus pascitur tantum, non adsurgit. Cui opponunt Graeci *ὀρθὴν φλόγα*, et poëta *ὀρθίαν πυρὸς φόβην*. Iam monui, corrigendum esse, *turbatque minutus*. Movet et, turbat more Varronis, qui dixit, *mare turbat, verba mutant.* SCAL.

v. 463) *Ictaque remis.* Lege: *ictaque rumpit.* Simulac, inquit, ille *minutus ignis*, qui est, ut aliquod *ἔναυσμα* et quasi *ζωπιμίον*, sensim praeteriit densas saxorum ambustorum congeries, extemplo solum, per quod evasit victor, convellit ac dirumpit. Hoc fit, quoties inolescens minus libero aëre fruitur. SCAL. Quantum in his versibus aliorum acumini debeamus, lubentes gratique profitemur. Primus Vltius ad Grat. 450. de ventis agi intelligens correxit: *Nam simul atque movent Euri turbamque minantur.* Melius etiam *Coras* pro *Euro* suspicatus Wernsdorfius est. Lucilium enim non poëtarum modulo metiendum esse, non semel monuimus. Unde *Corum*, praeterquam quod *curis, movet*, Codd. lectio similima est, ob has causas praefero: Autumnno adventante creberrima incendia esse, ad vs. 601. docebimur. (de Austro, vernò flamine, supra ad vs. 291. disputavimus). Hac autem tempestate maxime flat *Corus*. Plin. H. N. II, 47. *Cum hoc* (aequinotio autumnali)

Corus incipit. Corus autumnat. cf. Voss. ad Virg. Georg. III. Auctor de Mundo c. 4. pag. 854. Senec. N. Q. V, 16. hinc etiam explicandi Virg. Aen. V, 197. Claudian. Rufin. II, 220. Hoc recepto aliud simul commodum nanciscimur. *Diffugit enim, quod ad solum Vlitius adiungere cogebatur et porro mutare trahit in tremis; id nos de vento, celeriter per omnes cavernas se dissipante rectius interpretamur, retento optima solumque trahit.* Quod autem pro vitioso: *ictaque ramis, ictaque rima* nos ille legere iubet, repudiandus est. Actum est enim de venti impetu, quum aliquam rimam invenerit, per quam maligne aufugiat. Senec. N. Q. VI, 14. et alibi magis probarem Wernsdorfii: *atque ruinas, si effectus terrae motuum, non indicia iamiam erupturi ignis describerentur.* Ergo magis etiam literarum vestigia premens repono:

Quam simul atque movet Caurus, turbamque minatur,

Diffugit extemplo solum trahit actum uti remis.

Licet eorum reprehensionem exspectans, qui vocem *uti* tanquam pyrrhichium incedere negant. Sensum illustrat Plin. H. N. II, 84. De varia soli in terrae motu percussione agit: *Tutissimum est, quum vibrat crispante aedificiorum crepitu, et quum tumescit adsurgens (terra) alternoque motu residet.* — *Undantis inclinatio et fluctus more quodam volutatio infesta est.* Hic vides, solum a ventis tanquam remo actum omnium infestissimum motum esse. Clarius etiam Senec: Q. N. VI, 21. *altera, inclinatio (solum trahit) quae in latera nutat navigii more.* Etiam huic ea deinde perniciosissima vocatur. Quibus adde Lucret. VI, 553.

Ut iactetur aquas fluctu quoque terra vacillans.
et v. 559.

Incumbit tellus, quo venti prona premit vis:

Tum supra terram quae sunt exstructa domorum,

Inclinata minent in eandem prodita partem.

Quod si meministi, *icta remis*, quam bene dicatur, quamque soleat exturbari, probante N. Heins. Adversar. p. 18 sqq., an vera mea emendatio sit, omnis dubitatio eximetur; nam aperte locus ex Virgil. Aen. V, 197. expressus est:

Olli certamine summo

Procumbant, vastis tremis ictibus aerea puppis,

Subtrahiturque solum.

v. 464) Prius enim murmur ac fremitus auditur, quam oculis usurpetur incendium, ut alibi docuimus. Idcirco paullo ante dixit:

Certaque venturae praemittit pignora flammae.

Solinus: *In Aetnae vertice hiatus duo sunt crateres nominati, per quos elactatus erumpitur vapor, praemisso prius fremitu, qui per aestnantes cavernarum latebras longo mugitu intra terrae viscera diu volvitur, nec ante flammaram globos attollit, quam interni strepitus antecedant.* SCAL. Intellexit Wernsd. demonstrat et ignes emen-
dationem expectare; quare scribit:

Fit grave sub terra murmur, demonstrat et ignes.

Quod quominus probem, duae me res impediunt; et quia in hac descriptionis perpetuitate coniunctione *Et*, pro qua *Fit* posuit, aegre caremus, et quod pro altera *et* dicendum foret *quod*, postquam semel coniunctionum series interrupta erat. Quare ego repono:

Et grave sub terra murmur denunciat ignes.

Denunciare proprie de omine et indicio ponimus, cf. Virg. Aen. III, 366. Auctor Halieut. 59. Prop. V, [IV] 3, 61. Tibull. III, 5, 5. ubi cf. Brukhotos. Plin. H. N. II, 110. *Nec in ullo* (quam in monte Aetna) *tantum natura saevit, exustionem terrae denunci- cians.* Senec. N. Q. I, 1, II, 34. III, 30. VII, 28. Ipse Lucilius:

Nubila cur Sterope coelo denunciet imbres.

v. 465) *Sacris cum cedere rebus.* Et haec quoque vix agnoscat Corn. Severus ipse, adeo perturbata sunt. Ad veteres Editiones confugio. Earum aliae habent: *sacris recedere*, aliae: *sacris decedere*. Ego lego: *secedere*. *Secedere deo*, *secedere sacris* elegantissimum est. Sulpitia, Romana Sappho:

*Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium.*

Sacras res latine dicitur *ta Deita*, ut Lucretius, *Veneris res ta appo-
diata*. Sed totus locus ita concinnandus:

*Tum pavidum fugere et sacris secedere rebus
Par erit, o tuto etc.*

Tum confugere, inquit, ad sacra et preces opus erit, ut pacem Deorum immortalium exposcas, quotiescunque auditur internus ille fragor. Numquam enim auditur, quin subsequatur magnum incendium. SCAL. *Concedere* ex Cod. H. recipere non dubitavi. *Sacras res de rebus divinis Aetnae* intelligo, quae arbitrum non admittunt; cf. v. 195. *Vs. sq. Codd. omnes Parere et peccant.* — cf. Dolomieu eruptionis descriptionem Aetnae ann. 1787. ad calcem libri *Bemerk. über die Ponza-Inseln*, pag. 389.

v. 467) *Mihl legendum videtur: nervis incendia raptis.* ut alibi nervos attribuit illi monti:

Densa per arduos exercet corpora nervos.

Putavi et legendum: *cameris incendia raptis.* Quod non displicet. SCAL. Neque Scal. neque Vlit. ad Grat. Cyneg. 450. neque N. Heins. apud Burm. Anthol. II. pag. 507. audiendi sunt, optimum versum contra Codd. et edd. fidem tentantes frustra. et sensus clarus est: raptis corporibus onerata incendia propter ventorum turbas. Haec generaliter praemittit suo et rhetorum omnium more deinde per singula iturus. quae sunt moles lapidum, saxa scissa, arena. multo autem serius, quum iam ventorum furor detonuit, amnis igneus, quem iam hic quaerunt v. 483. profluit.

v. 469) Pro *sonant Anton de Rooy volant* suspicatur; non recte. Ita Virg. Aen. II, 113. *toto sonuerunt aethere nimbi.* Multo autem graviores sonitum, imo stridorem volantium arenarum esse, scimus; cf. Antonii Jacobi, fratris dilectissimi: *Neueste Nachrichten über Sicilien etc.* p. 15.

v. 470) Eadem figura Virgilius de aheni bulliente: *nec iam se capit unda.* SCAL. Explicatio Scal. vera est. *Recipere* quis nesciat pro *capacem* esse, saepissime dici? Senec. Ep. 66. *Quem admodum serenitas coeli non recipit maiorem adhuc claritatem.* Cic. Offic. III, 33. Senec. Herc. fur. 191. Thyest. 746. Ovid. Metam. VIII, 835. XI, 417 sqq. Lucr. III, 240. Vellei. Paterc. II, 7. *sic capere laborem* pro *in se recipere* Terent. Andr. V, 2, 28. et Manil. III, 246. tum *retinere*, pro *tenere*, *capere* Lucan. II, 218. cf. etiam Burm. ad Valer. Flacc. III, 97. Quod tamen quum nesciret reprehendens Scaligerum Gorallus tale commentum excogita-

vit: dein emissae flammae quum in montem non redeant, mons veluti defessus respirat.

Ibid.) Etiam Virgilius *fessum* pro fatiscente accepit. SCAL. Sequentes versus Lucilium ipsi optime explicant. *Hinc* optime Helmst. praebuit.

v. 471) *Utque* a Gorallo accepimus, a nemine, quod verum sit, accipere recusantes.

Ibid.) *Hostis*, ignis. Malo tamen *hosti*, praesertim quum sentiat montem fatiscere. SCAL. *Hostis* non tam ignis est, quam moles ardentes, quas quum spiritus proturbavit, liberam ipse viam nactus, *illie* i. e. in monta decrescit, minusque saevit. Ita se emissis lacrimis dolor aperit apud Valer. Flacc., III, 371.

Dulcibus indulget lacrimis aperitque dolorem.
propius etiam ad nostrum locum idem VII, 547.

*Vos mihi nunc primum in glebas invertite tauri
Aequora, nunc totas aperite et volvite flammās.*

cf. Sil. IV, 648. et quos habet. Rubnk. ad Terent. Andr. IV, 1, 8.

v. 473) Puto melius lectum iri: *et strage sub ipsa*. Nam error natus est ex vitiosa scriptura *et strace* pro *strage*, ut *subicitare* pro *subigitare*. Prona iacens campis acies, ut ipse loquitur, nihil aliud est, quam *strages*. Est enim, ut in Varronem adnotavimus, arborum caesarum *strages*, ut segetum *calamitas*. *Πάθος* est hic, quum *stragem* Aetnae postquam deferbuit, aciei victae in castris comparat. SCAL. Prior tantum comparationis pars nobis servata est, qua eiectas moles cum victo hoste comparat, altera, quae ipsum victorem, i. e. spiritum, defessum nobis descripserat, ex maxima parte in lacuna interiit. Quod et sententiarum tempor et verborum ratio tam aperte ipsa per se demonstrat, ut meis argumentis probari non debeat.

v. 474) Noli corrigere: *si quid lapidum*. Similiter Grat. Cynege. 145. *Si quis vitium nociturus sufficit humor*; ubi non est quod cum N. Heins. *si quid vitii* corrigas. cf. Benth. ad Horat. Epod. 5, 1.

v. 475) *Asperior sopita*. Vitiosa lectio. Ne veteribus quidem excusis constat sua fides:

Asperior sobaris et quaedam sordida fax est.

Non dubium est quin legendum sit: *asperior scabres*. De Scabre supra in Cirin. SCAL. Animadversio Scal. ad Cirin 249. haec est: Non puto Virgilium sordida verba, et ut Gellius loquitur, maculantia ex plebis faece huc inferuisse, ut tam culto et tam nitido poematio tam sordidam verbi labem inspergeret. Praeterea quis credat Virg. modulum primae syllabae, quae est in *scoria* ignorasse? Sed profecto legendum: *scabre tabescere tali*. Varro: *ager derelinqueretur et periret scabre squalisque, illuvie, inculta vastitudine*. Quam sabrem intelligat, plane innuit illo: *Non styrace Idaeo* etc. Significat ergo omnem neglectum munditiarum, quemadmodum a Graecis nomine *ἀλουσία* idem concipitur. Euripides Oresta:

ὡς ἡγρωσίας διὰ μακρὰς ἀλουσίας.

Quod expressit Lucilius ita:

hic cruciatur fame

Frigore, illuvie, inbalntie, imperfundie, incuria.

Inbalntie, *ἀλουσία*. — Recipiendâ videbatur Scal. emendatio; eandem vocem Appuleio Colvius Flor. II. p. 231. iure, ut videtur, reddidit. Sed quum Scal. lectio multos adversarios invenerit, fortasse aliorum labori succurram, si, quod ego conieceram, addidero. haud absurdum ergo videbatur, scriptum fuisse: *asperiores* apit, quod lego:

Tum si quis lapidum summo pertabuit igni,

Asper in ora subit.

Iam cineres, inquit, perustorum lapidum asperiores late a ventis delati in ora nostra feruntur. cf. Burm. ad Valer. Flacc. IV, 508.

Vix dum ignea montem

Torsit hiems; iamque Eoas cinis induit urbes.

vel etiam: *Asperior superat*; ut Claudian. de Apono fonte 53.

Quod superat; fluvius deversa rupè volutus

Egerit, et campi dorsa recurva petit.

Faex Goralli nescio unde sit. ab ipso esse vix credam. Quod, quamvis blandum, non accipio. Describit eam partem eruptionis; qua cineres atrî, mixtique saxorum mole, flammis tamen resplendentibus, evolvuntur, quae aptissime faci fumosae componi possunt. Cf. Plin. Epp. VI, 16, 5 et 6. et 20, 9. cui adde

Stolberg Reise III. p. 26. Duo autem hi versus parenthesi includi debuerunt, quod *Verum* v. 477. orationem excipiens aperte demonstrat.

v. 476) Id est, *σκαπία τοῦ σιδήρου*. Totus autem versus ita legendus:

qualem purgato cernis decedere ferro.

SCAL.

v. 477) Ab his inde versibus, sic uti montis furores augentur, poëmaticis etiam simul increscunt et superant difficultates. Incipiunt autem ab impeditae operosæque comparationis flexuosis ambagibus. In quibus apodosin nobis *angusti verticis* inductio, per quem quid novi assurgat, ambitiose ostentat, nequaquam rebus minoribus conveniens, nisi ipsi flumini igneo. Ipse etiam hiatus, quem simplici admodum artificio Codd. tollere voluerunt, eodem facere videtur. Deinde a v. 479. comparatio orationem dissecat, cuius finem post *Excutitur* v. 482. insequentis orationis structura patefacit, neque ut alio loco ponatur, quod Wernsd. fecit, ullo modo patitur. Pergit ergo oratio: angusto vertice — liquor ille magis etc. unde apparet, *surgunt* v. 478., quod vitiosum esse etiam alii viderunt, esse corrigendum. Quid alii fecerint, apud illos, si voles, quaeres. Ego quia et lapidem igne tabidum, et caduci saxi congeriem mea versuum distinctione, ut mihi quidem videor, recte pro cineroso *pumice* habui, qui deinde in comparatione denuo propter perspicuitatem inducitur; Wernsdorfii correctionem debebam reiicere; pro qua *surgunt* in *surgens* convertens et sensui consului, neque in verbis detorquendis durior sum. Simillima rei descriptio est apud Dolomieu Catalogue raisonné de l'Etna, vers. germ. pag. 138 sqq.

v. 479) Debebat dicere *veluti quum in fornace*; sed eleganter τὸ *quum* subintelligitur, ut alibi. *Nam veluti sonit aura*. Plenum enim erat, *nam veluti quum sonit aura*. Porro, ut hunc illustres lege Vitruvium II, 6. SCAL. Si in re impedita ne versio quidem satisfacere videatur, sic verba ordino: Lapis (molaris) torretur tanquam in fornace, et omnis ex lapide humor exurit, cuius faeces seu pumices, pondere leves, ante flumen ipsum venti excutiant.

P

v. 480) *Exustus* ex Helmst., cui 3. *exustus* exhibens proxime accedit, pro vulgata: *Exunitur* (ex Cod. 2.), omnibus, puto, maximeque Lucilio ipso assentiente rescripsi.

v. 481) *Laevis sine pondere*. Scribe: *Levis et sine pondere*. Dicit autem *excuitur*, ut notet verbum aptum cribratione. Sic Persius: *Et populi cribro decussa farina*. SCAL. *Levis et omnes* Codd. confirmant. Unde ineptum huic rei *Excoquitur* ortum sit, iidem Codd. aperiunt.

v. 482) *servare*. Legendum haud dubie: *fervere*. SCAL.

v. 484) *Lego: et privis demittit callibus undas*. *Privum* ἔκαστον. Lucillius:

abdomina thunni

Advenientibu' priva dabo, cephalaeaque Atarnae

Callibus, διαυλωνισμοῖς, quod est verbum Aristotelicum. Lucretius: *secretos egit calles mare*. SCAL. Ut Virgil. Ecl. IX, 7.

Qua se subducere colles

Incipiant, mollique iugum demittere clivo.

cf. Dolomieu etc. pag. 231 sq.

v. 486) *Diximus curtos ignes* subtiliores esse, et nihil iis obstare, quominus viam perumpant; quod etiam intelligitur, quum ait, *omnia purgans*. nam *purgare viam* est omnia impedimenta amoliri; et area pura, et locus purgatus, ubi, scilicet, nihil immolatum est. Nam qui legunt *simul omnia pugnant*, neque purgatum cerebrum habent, et omnes rationes cum iis pugnant. Sed et improbe sequentia coniungunt:

Nunc silvas rupesque vorat haec tela solumque.

Quum periodus sit post *vorat*. Sequentia vero: *haec tela, solumque: Ipsa adiutat opes* sunt pro epiphonemate. Et ut Cicero dixit, *parsimoniam non mediocre telum esse ad virtutem*, sic hic omnia adiumenta vocat *tela*, elegantissime sane. Quod ad Graecorum imitationem dictum: ἡ φειδὸν οὐ φαῦλον ὄπλον πρὸς τὴν ἀρετήν. Ita loquitur Dionysius Halicarnasseus. Plautus Epidico: *Opus est homine, qui illo argentum deferat pro fidicina*. Nam *telo* non aequè *opus* facto est. SCAL. Si modo *curti ignes* recte dicuntur, aliam quam Scal. explicationem non admittunt. sed vereor, ut sanum verbum sit. nam *curta* vix alia sunt, quam quae iustam mensuram non explent; et memini alicubi fulgurationes me legere

curta vi ignium impetu carere, quamquam nunc frustra infidelem memoriam torqueo. Neque quidquam, quod pro *curto* Lucilio reddendum sit, ita certum excutio, ut omnis dubitatio eximatur. *Certis* Wernsd. probarem, si vocem tam vulgarem in simillimis literarum ductibus excidisse verisimile esset. *furvi* autem, *atri*, *curvi*, quae alii suaserunt, inane versus complementum esse videntur. Si tamen aliquid depromendum est, hoc habe:

Quippe nihil revocat, surdis nil ignibus obstat.

Flumen surdum ita vocatur, ut *surda* aequora vulgo dicunt. quam autem huic fluvio crudelissimo haec vox apte conveniat, vides; ei, inquam, quem *nihil revocat*.

v. 487) *Pugnant* ex Codd. H. et 3. omnino scribendum est. sic denique transitio ad sequentia paratur, quum *purgant* finem descriptioni imponat.

v. 488) *Tela non vorare* iam Wernsd. admonuit; quod mavult, *rotare* ad *silvas* parum concinne dicitur, quae ab igne vehementissimo statim comburuntur, non trahuntur, quamquam per se natura illorum ignium non obstat: cf. Breislak III. pag. 332. sed si addis in Cod. H. et 3. *silvae* non *silvas* praebere, non dubitabis, quin *notat* H. et 3. lectio hoc contineat:

Nunc silvae rupesque vocant.

de quo verbo satis usitato poetae supra disputavimus. Fortasse Nam rectius quam *Nunc* erit, ut magis etiam oratio ad *pugnant* referatur; *nunc* enim, quod propter orationis contentionem positum esset, plus semel iterari expectaremus. *Tela fluminis ignis*, satis audacter. Fortasse ad exemplar Aeschyl. in Prometh. v. 371.

v. 489) *Ipsa* Codd. scribunt. *ipsum* emendat Gorall. ut *ipsum solum amnes* adiuvare et augere dicatur. Scriptum erat: *ips' adiutat*; hinc error ortus est. quod autem idem *facilem amnem* corrigit, propter singularem numerum post sequentem, audiendus non est. Rei praeterea testimonium Thomas Fazellus afferet in Rerum Sicular. decad. I. lib. II. c. 4. *Eiusdem Iulii Idibus circa solis occasum iuxta Musarram rupem ac templum Divi Iohannis Paparametta ex inferioris montis parte ex inopinato hiatus, ac paulo post in eodem duo alii sunt aperti; ea vi, ut ex quatuor crateribus, parvo inter se intervallo dissitis, ingentium lapidum congeries*

una egestae profundas valles et nemorum saltus in montes arduos extalerint. Fluebat etenim ex quadruplici illa voragine rivus igneus, instar metallorum ex fornace liquentium, occurrentem tellurem et ingentia saxa ac arbores quascunque non solum comburens, sed etiam absumens; terraque ipsa, quas paullo ante calcabatur, incanduit, ac veluti spumis aquarum ad scopulos e fluctibus elisarum late instar excrescentis fluminis, profluvio igneo inundata ac dispersa est. Nonne haec ad amussim respondent? Habes silvas non combustas, sed voratas, saxa item consumta, solum ipsum incendia fluminis adiuvens. Itaque vide, ne nimis conspiret. Scilicet pro more seculi, oratio deliciarum captatrix magis placuit, quam veri fidelis memoria. atque hic sibi, quem imitaretur Lucilium proposuerat, ut alibi Strabonem exscribit, alibi alios. Demonstrant igitur haec, Fazellum interpretari, ut, nos poëtam, pro rei testimonio haberi nequit. Quum autem terrarum incendia, qualia in Islandia fieri scimus, in Sicilia non meminerim memorari, quum praeterea in verbis et vitiosis et a nobis poëtae illatis dubia quaedam remaneant; moneo te, ut diligenter hunc locum, tanquam non persanatum, mentis tuae acuminis subiicias, an me feliciter possis verum ipsum invenire. Hoc dicam, ad cineres mihi eum videri pertinere eorumque feracitatem, quam proferant.

v. 490) Hic portensosa versuum transpositio ac perplexitas fecit, ut non solum sensus perturbatior, sed et lectio mendosior evaserit. Primum igitur ordini consulamus. Deinde ad ipsum stabulum Augiae nos conferemus. Ita enim digerenda haec sunt:

*Ipse adiutat opes facilesque sibi induit annos
 Quod si forte cavis cunctatus vasibus haesit,
 Utpote inaequales volvens perpascitur agros;
 Ac primum tenues curvans cit Mulciber orbes;
 Paullatimque ignes coeunt et flammae messis.
 Sic uti cum curvo rapidum mare cornitur aestu,
 Progrediens late diffunditur et succernens
 Ingeminat fluctus et stantibus increpat undis.
 Flumina consistunt ripis et frigore durant.
 Exiit facies tunc prima ut quaeque rigescit.*

Ipsa adiuvat, ipsemet ignis suoapte ingenio sese adiuvat, ac reparat. Hoc enim est *annos induere*; non secus ac ubi in messes ignis incubuit. Primum tenues orbes, inquit, sinuat; deinde quum plus aridioris materiae amplexus fuerit, paulatim late crescit ac totam segetem corripit, ut videmus sensim aestum maris crebescere. SCAL. Ad quam perplexam orationem accedamus, Scaligeri haec adnotatio, quae summa imis miscet, satis testatur. Atque reliquorum quidem interpretum apponere et recensere conatus longum est. Itaque ad Wernsdorfium remittimus, qui animum relaxare volet. Novam hic nobis scenam aperire videmus: *amnis igneus in cavitate quadam maiori haeret.* ad haec deinde omnia referenda sunt. Quare in uno neminem haesisse, mirabile est. Nam quamquam in valle quadam alta teneri nos omnes flumen sentimus, infra tamen v. 499. haec moles *ipso pondere tracta Volvitur ingenti strepitu.* Quid? quod, quum flueret, amnis non potuit, ut montes escenderet, id faciet nunc rigens ac lapideus? Neque putès sileri ipsam ascensum atque evicta obstacula nobis depingi hoc versu:

Ingeminat fluctus et stantibus increpat undis,
sequentia faciunt; manet enim illud alterum:

Flumina consistunt ripis ac frigore durant.

deinde frigida illa, dura, rigida, quum effumarunt (quippe!) volvuntur ingenti strepitu. Postquam autem generaliter, in quo summa difficultas insit, quoque aciem nostram intendere debeamus, significavimus, de singulis iam versibus erit docendum. — Pro *vasibus* Codd. lectione Cruse in Probabil. Critic. p. 52. recte hanc vocis flexionem reiiciens, suadet *Faucibus*, puto ad illud: *Vox faucibus haeret.* non male, nisi deinde de Aetnae cratere ipso *faucos* explicaret, cuius hic nullus locus relictus est. Ego Goralli *vallibus* proxime ad Codd. errorem accedens amplexus sum.

v. 491) Et hic quoque τὸ quum subauditur, ut bis supra. Quod si, inquit, inferioribus partibus stupescens ac piger haesitet ignis, non aliter se promovere solet ac ignis, cum in segetes incubuit. Iam diximus. SCAL.

v. 493) *Sicut cum curvo rapidum mare cornitur aestu.* *Curvum aestum* vocat, quum adhuc, ut Poëta loquitur, non *αὐρῶσ-*

tas vel scopulatas, sed curvi maris adhuc faciem retinet. Mallem tamen *torvo* non *curvo*. SCAL. Hic habemus crucem interpretum! Hic omnes lapsi, sequentia perspicere non potuerunt. Hanc enim comparationem pergere statuunt ad finem versus 495. ita legentes:

*Ac primum tenuis sinus exigit alteriores,
Progrediens late diffunditur et succernens;
Flumina consistant etc.*

ut *Flumina* etc. spodosin incipiant. Et facilis error erat; nam simili oratione nihil frequentius est. conf. Claudian. Rufin. I, 271. Valer. Flacc. VII, 581. Virg. Aen. VII, 528. Georg. III, 237. Sed ne species tibi imponat. Hoc ipso, inquam, versu comparatio clauditur. Quam si longius produces, aequora tibi describentur, quae in scopulos irruentia, fracta retro recedunt. Quod absurdum est. Nam flumen hoc nostrum superat obstacula, volvitur enim ingenti strepitu. Et, ut repetam, sequentes versus singuli inter se dimicarent. 1) Durant flumina et consistunt. 2) Pualatim ignea messis coit. 3) Facies rursus exiuit. 4) Effumat moles. 5) volvitur. Quod si absurda alioquin comparatio, hic finita egregia est, si illa rerum repugnantia simul concidit, haud dubie orationis mea incisio vera erit. Est autem in hoc vs. ingens L. V. Cod. 2. aperte correctus est, et satis quidem infelicitur. Posses:

Sicut quum curvat rapidum mare caeruleus aestus.

Quod proxime ad Cod, 3. accederet. Sed eodem vitio haereres, quo Cod. 2. Nam non generaliter describit mare turgidum, sed quod *dimicat*; in contentione omnis causa versatur. Si quid Cod. 2. dandum esset, putares, voci *cernitur* duas ultimas litteras adhaesisse a voce insequenti, ut *cernit uestu* legeres: *cum curva rapidum mare cernit arena* i. e. decernit cum curva arena. sed vereor, ne sic longius a Lucilii manu recedamus, sensum nacti non incommodum. Vera scriptio haec est:

Sicut quum curvo rapidum mare cernulat aestu.

Nisi mavis ex ratione Gronov. ad Senec. Ep. 8. *cornuat*. cf. tamen Salmas. Plin. Exercitatt. pag. 211 et 894. qui plurima de hac voce docet. Rursus Cod. H. veri vestigia unus servat. Describit autem mare vel a variis ventis agitatum, vel scopulos illidens; ubi, quum adversa fronte inter se undae dimicant, alia aliam mergere

visa, ab ea ipsa, quam quasi cernuentem obruit, augetur. Nihil vero aptius esse hac comparatione, sequentia evincunt, nam dum priores lapidis molaris fluctus novi cernulantes subeunt, illos extollunt, usque dum vallis sit superata. Ad rem faciet locus Lucilii a Nonio servatus: *Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat.* et s. v. *Collus:*

modo sursum modo deorsum tanquam collus cernui.

Non alienus a nostro est apud Sidon. Apoll. *Ganges cernuus* Carm. XXII, 41.

*Corniger inde novi fit Ganges pompa triumphii;
Cernuus impexam faciem stetit ore madenti et
Arentes vitreis adiuvit flotibus undas.*

Nemini familiarior haec vox, quam huic Sidonio.

v. 494) *Ac primum tenuis sinus agit ulteriores.* Ex hoc monstro lectionis haec eruimus:

Ac primum tenues sinuans cit Mulciber orbes.

Id quod uno verbo Graeci dicunt *εὐλύφαιεν*. Inaequales agros, propter quos nunc languescit, nunc adsurgit ignis; quum ubique non sit aequalis culmorum seges. SCAL. Quid iam his versibus doceamur, ex superioribus patet. Describit enim lapidem molarum, quomodo ex valle altiore exitum quaerat. Quod in vulgata supra apposita vix invenias. Sed vitiosum versum esse, ipse prodit syllaba mutilus. Iam velim in memoriam revoces fluminis naturam; non enim fluit, sed protrudit sese. Stolberg. p. 38. *Die lautere Lava fließt nicht wellenbildend, sondern wird, sobald sie aus der Oeffnung des Schlundes sich ergossen hat, in Einer Masse von der Nachfolgenden fortgeschoben.* Quam ergo ab obstaculo quodam retinetur, protrudens tamen remoratum fluctum, in suum ipsius tergum reiecit, atque sic succrescit et augetur, usque dum priorem cursum prosequi libere possit. Letteres physiques et morales etc. Par I. A. de Luc, in Lichtenberg's Götting. Magaz. 2ter Jahrg. 1stes Stück p. 15. *Die Lava, deren Materie bei der geringsten Hindernis, die sie in ihrem Wege antrifft, auf sich selbst umlenkt, und eben so viele verwickelte Klumpen bildet etc.* Atque huius descriptionis vestigia tenemus profecto in nostro versu. Viam emendationis Petrus Bembus muniat, quem in *Aetna sua*

diligentem Lucilii imitatore[m] omnis ille libellus ostendit. ego hunc unum locum adscribere satis habui. Scimus autem eum optimum Catalectorum exemplar habuisse, de quo libri Bembini nomine in Vaticana asservato cf. Burm. Praef. ad Anthol. pag. LIV. Ex hoc igitur libro, licet non recte interpretatus, utilissime tamen nobis haec expressit: *Despumant igitur flammis urgentibus ignei rivi pigro fluxu totas delambentes plagas. ii paullatim recedente calore priorem naturam sibi repositas, in lapidem indurescunt. — Stat ea confluvies, veluti glacies concreta, usque dum alteri descendant rivi: ii namque non supra fluunt, sed inter montis arenosam cutem et priora concreta fluentia insinuantes sese, cursum sibi medium quaerunt — deinde congelantem eam altera subit illuvies, atque ipsa tantundem facit; tum altera item, et altera. — Itaque novissimis semper vincentibus, multiplicatoque in immensum incendio, ex igneis fluminibus fracti lapides altissimo congestu magnam montis partem occuparunt. Lavam, quam vocamus, non illum cursum intercutem tenere, atque ad omnem huius fluminis naturam nostram Lucilii descriptionem contulisse Bembum, certissimum est. His tamen vestigiis et lectione Cod. H. *tenuis. sinas*, reponimus, quod iam Scal. optime invenit *sinuans* i. e. sursum reclinans; quam interpretationem admittere hanc vocem, probandum non est. Deinde elegantem versuum nitidorum spectatorem in *ulteriores* versus finire voluisse, omnibus incredibile visum est; neque nobis patienda vox insipida est, licet sensum, quem quaerimus, non offendant. Ergo totum versum sic scribo:*

Ac primum tenuis sinuans agit unda priores;

Quamquam Bembi locus nos paene cogit, ut praeterea pro *agit*, *subit* legamus. Sensus iam clarus est: ac primum tenuis unda priores sinuans et recurvans protrudit. Quam vere natura describatur, alterum testem citemus, quo nemo magis graphice, ut in omnibus virum excellentem miramur, depingere rem potuerit, Göthium in Epp. Itinerar. Wahrheit und Dichtung, Neapel den 6ten März: *Neuere Laven, besonders die langsam geflossenen boten einen seltsamen Anblick: denn, indem sie fortschleichend die auf ihrer Oberfläche erstarrten Massen eine Zeitlang mit sich bewegt, so muß es doch begegnen, daß diese von Zeit zu Zeit stocken, aber von den Gluthströmen noch fortbewegt, über einander gescho-*

ben, wunderbar zackig erstarrt verharron, seltsamer, als in ähnlichem Falle die übereinander getriebenen Eisschollen. Pariter ergo hic in tergum reiectae moles indurescunt et accumuluntur.

v. 495) Catullus:

Procedunt leviterque sonant plangore cachinni.

Et subcernens. Fluctus subcernens, non mare; ut mare mutat; mare turbat; hoc est spisse crispatus fluctus. Metaphora a cribro. Plautus:

Pol quidem hic gradus subcretu'st cribro pollinario.

SCAL. *Diffundi etiam flumina ac dilatari, dum progredi nequeunt, satis verisimile est, quum tamen huic non diffusio, sed suffusio pertineat, vide an non suffunditur verius putes. Sed gravius vitium est in succernens. Explicant de dissipato quasi per cribrum maris fluctu. Sed monstravimus dudum finitam comparationem esse. Neque in illa illorum interpretatione stare vox posse videtur, quum non se mare succernat, sed a scopulis succernatur, si tamen omnis haec comparatio patienda est. Eicienda igitur omni modo vox pessima:*

Et succrescunt

Flumina, consistunt ripis ac frigore durant.

ripis consistere dicit, quia lapis ab externis quibusque partibus, ubi aëri proximus est, primum refrigescit, longior locus est, sed dignissimus qui conferatur, Göthii Epp. d. 20. März: Denn indem sie während des Fortfließens an den Seiten und an der Oberfläche verkühlt, so bildet sie einen Kanal etc. Succrescunt flumina in tergum reiecta, frigoreque durantia.

v. 497) Ex nostra explicatione, ut aliis interpretum correctionibus, sic eis, quae in hoc versu novarunt, omnino super-
sedemus; quod praeclarum veritatis testimonium est.

v. 498) Hic iam turpis, quod aiunt, macula detergenda Lucilio est. Nam ut ei concedamus verbum *effumandi* et productum ab ipso (vel *efformatum*, ut, qui similiter peccant, loquuntur) et uni ei relictum; si tamen ut linguam ita etiam sensum ab omnibus partibus offendit, facessat a casto poeta vox barbara. Namque in hoc flumine fumorum partes nequaquam tantae sunt, ut novi verbi

necessitas nobis imponatur. cf. Göth. l. l. *Esset potius pro igne sopito satis intempestive ingestum; huic adde, quod multo fortiores voces hoc ipsum declarantes dudum legisti; proxime rigescit moles, supra induruit, refriguit, ripis constitit; adde quod atque ipso pondere tracta misere ad fumum coit.* In hac ergo vitiosa voce illud invenio, quod quaerimus. Hic tandem haesitantem amnem liberabimus. Verum non dedecere me puto, licet coronare opus finis recte dicatur, si dubitanter ad hanc emendationem me accedere ingenue profiteor. Sed si melius res cesserit ex prudentium sententia, quam confidam ipse, non minuet mea dubitatio veritatem, sin minus, aliorum sagacitati officere nolim. Nam ego Helmst. vestigia colligens, *Affumat* exhibentis, sic scribo:

Assurgit moles atque ipso pondere tracta

Volvitur ingenti strepitu;

Verbum enim assurgendi et consurgendi de summo rerum omnium auctu proprie usurpari, non dubitamus, qui et arborum proceritates et alitudines murorum, tum fluctuum tumores hanc quasi dicatam sibi vocem et suam vindicare meminerimus; quod autem *prima facies exui* dicitur, de eo intellige, quod qui ante amnis instar miti impetu profluebat, nunc lapideus quasi saltuatim deferatur, postquam vallem succrescentia flumina superarunt. de Luc apud Lichtenberg. Gött. Mag. pag. 17. — *so ist der Fortgang der Lava, als ein beständiges Einstürzen*, etc. Quum vero nunc (quantum quidem licebat in loco fortasse mutilo) singula recensuerimus, si paucis retractemus, quid actum sit, sententiam vides non nimis obscuram, verbis non alsonis, nunquam latini sermonis castitatem offendentibus, admodum parca verborum deflexione nobis restitui, quae enim corrigenda omni ratione fuissent, ea correctae sunt. praeterea nihil mutatum; contra quid alii moliantur, apud Wernsd. vide; simulque quid effecerint.

v. 501) *Quum solido inflexa. Lege: inflexa ἀργαῖκός* pro inflicta. Sic indifferenter dicebant *affictus, affixus*, ut Varro. Mox lego: *et qua displosa est.* SCAL. Retineo vulgatam *inflicta*. Lucret. II, 84.

Aut ictu forto alterius; nam cita superne

Obvia quum slixere, fit ut divisa repente

Dissiliant.

Virg. Aen. XII, 687. IX, 677. et quae hic plurima exempla contulit Nic. Heins. *Pulsantem* pro Codd. erroribus legendum esse, mihi apertum videbatur.

v. 502) *Disclusa*, quod omnes Codd. habent, ne tentetur Lucret. efficit, III, 171.

Vis horrida teli

Ossibus ac nervis disclusis intus adacta.

et VI, 238.

Et impete tanto

Fiant, ut possint ictu discludere turres.

effulgens tamen scribendum esse, recte vidit Dorvillius, cf. Wernsd.

v. 503) *Emicat examen plagis*. Hoc est *examen plagarum*, ut *grumos spargit solo*. Propertius:

Desit odoriferis ordo mihi lancibus.

Ἐν δὲ διὰ δύοῖν. SCAL. *Emicat*, quod hic pro vulgata *Et micat* Scaligerum scribere videmus, et post Dorvill. correxit, est in Codd. H. et 3. Eandem vocem egregie Merobaudi Niebuhrius reddit Paneg. 174. *Plagarum* quae hic mentio sit, docet Goralus: *Hoc vult Poeta, plagis vel ictibus, quibus scintillas excitantur, probationem lapidis fieri; nam nisi ignis emicet e lapido pulsato, non esse pyriten*. Vide, quanto in otio, inter tot terrores homo securus, ne sibi fraudem Aetna faciat, experiatur, neve pro vero lapide molari nescio quas quisquiliās nobis proiactet. Sed si serio quaeras, quid nunc sibi hae plagae velint, nihil respondeas, quam plane frigere et abundare. Veram autem scripturam sic reddes Lucilio:

Emicat examen plangens; ardentia saxa

Scintillant.

Plangentia Virgiliti litora satis succreverunt ibi interpretes; et larga curioso praeter illa exempla messis est; nobis ad graviora properandum est.

v. 504) *Procul esse fide, procul esse*. Et lectio et interpunctio vitiosa. Ita lege, ita interpunge:

ardentia saxa

Scintillant, procul ecce fide, procul ecce ruentes

Incolumi fervore cadunt utrimsecus ignes.

Procul fide, ut *procul dubio*. Est mira *δαιμόνης*. Quasi in subito tumultu, ac inopina consternatione hoc dixerit; ut *ecce manus invenum* etc. SCAL. Scaligeri correctio, quantumvis praeclara, duas tamen habet res, in quibus abundum ab eo esse videbatur. Nam ut *procul fide* de re omnem fidem superante dici credam, exempla desidero, neque ullum poetam ita locutum esse affirmem. Deinde, ut Lucilium ita voluisse scribere concedamus, non tamen vera scriptura est, quia *utrimsecus ignes*, quo hanc orationem retulit, non recte eum coniecisse infra probabimus; hoc enim reciso *ruentes* suo substantivo carebit, quum *saxa* praecedant. Eodem argumento Goralli *Ecco vide* concidit, quod ne Latinum quidem est. Nam alia res est, quando indicativus adiungitur, veluti apud Valer. Flacc. III, 396.

*In lacrimas humilesque metus, aegramque fatiscunt
Segnitiam: quos ecce vides.*

cf. ibid. VIII, 11. Calpurn. Ecl. V, 7. I, 4. VI, 32. Valer. Flacc. VIII, 60. Imperativorum talium iuncturam reliqui ita fere efferunt. *En adspice* Ovid. Am. I, 8, 31. Epigr. LVI. Lib. II. Tom. I. in Burm. Anthol. et T. II. Lib. V. Ep. 72. v. 1. *En cernite* Stat. Theb. V, 124. *Adspicite en* Ovid. Met. XIII, 264. Sil. II, 505. *Cerne en* Stat. Theb. VII, 386. *Adspice ecce* Ovid. Met. II, 92. Nemesian. Ecl. I, 34. *En ecce* Senec. Oed. 1004. quod familiare Appuleio est, cf. Oudend. ad eius Metam. p. 9. Haec exempla ita a Goralli iunctura differunt, ut *ecce* nunquam alterum imperativum praecedat, neque enim potest, quia reliquis vocibus magis demonstrativum est. Sed quum *ruentes* nos poscat, quo fulciatur, reponamus, quod in *fide* substantivum latet illuc pertinens:

*Procul ecce faces, procul, ecce, ruentes
Incolumi fervore cadunt.*

Faces de ardentibus lapidibus per arduum montem saltuatim devolutis ponere nihil nos vetat. magis etiam nomen conveniet, si tale fere spectaculum hic describi dicemus, quale ante hos quinque annos Aetnam praebuisse carissimus frater mihi narravit. Tunc enim, inquit, igneus ille amnis cursum suum ad eas montis partes convertens, quae Austrum spectant, ubi ad altissimam

quandam praeruptisque undique lateribus cinctam vallem accessit, quam Valle di bue nominant; deiectus ab hoc aditu immanis ille torrens cum ingenti se impetu praecipitavit, quo more flumina solent, quum aqua abundant. Omnes autem illae fauces ab atroci scintillantium ignium lumine resplenduerunt. Simili, inquam, modo discussos ictu lapidum lucentes acervos hic etiam desilire putabimus, et inter rotationem ignes dispergere tanquam faces proiectas. Similia sunt, quae in Monte Vesuvio accidisse narrat v. Strombeck. ad Breislak. III. pag. 134 sq.

Ibid.) Verum impetus. Non male, quantum iudicare possum, divinavi *utrimsecus*; ex duobus, scilicet, crateribus; nam duo *ὄψακες* praecipui fuerunt. Auctor Lucretius et Solinus. Alii tres faciunt, Strabo etiam quartum novum addidit. SCAL.

v. 506) *Si fumant quondam ut ripas traiecerit amnis.* Non melius huic loco est, quam superiori. Sed haud dubie ita integritati restituetur:

Sic fumant, quondam ut ripas traiecerit amnis.

Vix iunctus.

More redundantis amnis, qui ripas suas transcederit, ait furem liquidos flammaram torrentes, et dixit *amnem vix iunctum*, ut Virgilius *pontem indignatus Araxes*. Nam proprie iuncti fluvii sunt, qui pontem patiuntur. Quod si mihi non credis, audi Senecam, quasi digito haec demonstrantem. *Nam quamdiu, inquit, non impeditur, facile fluit. Quum offendit et retinetur, insanit, et moras suas abrumpit, non aliter quam ille pontem indignatus Araxes. Quam diu illi facilis et liber alveus, primas quasque aquas explicat.* Quamquam Seneca de fluvio pontem abrumpente, Virgilius vero de fluvio iugum servile detrectante intelligit. SCAL. — v. 506. Non ergo hoc Lernaeo monstro defuncti sumus. Nam quae capita mendorum subnascuntur? Quis hanc lectionem intelligat? Ergo legendum:

quisquam vix olim noverit illas.

Ut enim vix agnoscuntur margines fluvii, quem imbres super notas aluere ripas, ut canit Horatius; ita vix locus, in illa incendii strage, agnoscitur, quum saepe vicenos dies obruta moles iaceat. SCAL. — v. 508. Obtinet vicem *ἐπιφωνήματος*. SCAL. Non

inficete, qui ad emendandum Lucillum accesserit, illis se potuerit comparare, qui detruncatarum statuarum se refectores esse profiterentur. Qui si prudenter agunt, antequam ad partium decussarum se restitutionem accingunt, prius simulacri totius significatum perscrutantur, et statum actionemve acriter inspectant, quidque facies promittat, quoque nervorum tractus, musculorumque vel tumor vel repressio se dirigat. Quam eandem artem nos quoque hic non semel exercere conati, iam denuo in nos recipere coacti sumus. Sed aliquanto nostra ratio spinosior est. Ab illis quidem, v. aliquam similitudinem monumenti perditum referant, praeterea nihil expectatur, lapidem autem eum sibi eligunt, in quo possit optime elaborari. Nos contra, nisi ipsa omnisque penitus poëtae scriptura refecta erit, nihil egimus. materia autem, in qua nos laboramus, verborum sunt male detorta fragmina, quae non tam adiuvent, quam morentur et impediunt. Quo fit, ut quod illis fere nunquam accidere soleat, ut se impares operi esse confiteantur, id nobis saepissime cum excusatione quadam praefandum sit; veluti nunc nobis usu evenit. Quodcumque tamen habui, si modo est aliquid, comiter audi. Exposuit igitur nobis ignei amnis ortum, flumen, rapinas, impedimenta et eorum victoriam. Quibus rebus perfectam totius descriptionis et expletam formam habemus. Quare si eodem hi versus lacerati nos deducunt, conclusionem in iis harum partium nos tenere putabimus. Vides autem eo facere v. 507., quo summa refrigerati lapidis durities depingitur. cuius rei quum transitionem pariter Codd. lectio praebet: *Verum impetus ignis Si* — retinenda haec verba omni ratione concludemus. cui etiam illud accedit, quod *atrimsecus* Scaligeri, auctoritate non tam certa nititur, ut pro voce Latina haberi debeat. Inter utrumque versum pessime habitus ille est, cuius in emendatione sudamus. In quo refingendo Helmst. ideo obtemperandum esse apparet, quia 2. et 3. prorsus cum eo conspirant, nisi quod, ut mensurae tamen versus consuleretur, syllabas aliquas numero abundantes omiserunt; quo iure, quave iniuria, parum solliciti. Ex haec ergo lectione verum eliciendum est:

Si ul' fumâti et hi quond' ut ripas traiecerit amnis.

Ubi quae sanissima videntur, ut *ripas traiecerit amnis*, non minus quam priora vitiosa sunt. Nam comparisonem, quam alii hic

quaesiverunt, reificendam esse, aperuimus. potius *amnis igneus ipso ripas* ducit, i. e. indurescit. Nam de ripis alius cuiusdam fluvii intelligi, a quo modus profluenti molari poneretur, et *traiecerit* ipsum vetat et alia multa. Scribo itaque:

quom et *ripas* traxerit *amnis*.

uti supra *ripis et frigore* durant; quam bene huic rei vox *trahendi* conveniat, docet locus Goethii, ad quem vs. 495. provoco; exempla latissime patentis vocis lexica suppeditant. Quod si vera scriptura est, porro sequitur, *Si vel*, quod Codd. habent (Cod. 2. ex compendio a' ex perpetuo errore at peccat, cf. Lachm. ad Prop. IV, 16, [III, 17] 10.) esse negligendum. neque enim iam distinguet *varios* ignium extinctionis modos, sed fluminis in massam lapideam concrenentis *speciem externam*. His vestigiis incedentes, et quantum licuit, ipsos litterarum ductus rimati, haec effingimus:

Verum impetus ignis

Si voltum anthracinum, quom et *ripas* traxerit *amnis*

Vix cuneo quisquam fixo dimoverit.

Quo quia melius invenire, ingenium non valebat, in textum, tanquam verum esset, recepi. quid enim faceres in loco tam desperato? Sententiam certe Lucilii nunc nos legere, probabile est. verba, si Codd. minus religiose sequare, multa se offerunt. In versu 507. sequor Goralli emendationem, quam neminem improbatum puto. Plin. H. N. XXXIII, 4, 21. *Est namque terra ex quodam argillae genere glareae mixta (candidam vocant) prope inexpugnabilis. Cuneis eam ferreis aggrediuntur* etc. In eo a Goralli recepta lectione discedo, quod non *cuneis fixis*, sed *cuneo — fixo* dedi, propter vocem integram *fixo* in Codd. propositam.

v. 508) Si hunc versum, ut ante me fecerunt plerique, retinere velis, aut nulla, aut quae non minus nulla est, haec Goralli sententia inerit. Lapidem molarem vicenos saepe dies iacere. vel potius integram habe Gorall. interpretationem lepidam: *Quod si in fluvium forte liquidas massas inciderint, illinc concretas vix cuneis ac vectibus possunt amoveri. Per plures interdum dies obrutae iacent, priusquam extrahi queant.* Itaque probarem Dorvillii emendationem:

Vicenos qua saepe pedes iacet obruta molis.

Sed etiam hic sunt, quae nos offendant. Nam cur *vicenos pedes* attingi voluerit, vix dicas. Est enim haec mensura res, si qua alia, arbitraria maxime. Sic audio Franciscum Ferrazam in: descrizione del monte Etna, quo libro ipso uti non licuit, in montis radicibus ad Catanam sex pedum altitudinem statuere; Auctor autem *περὶ θάυμασιων ἀνοουμάτων* pag. 718. Tom. II. du Val tres tantum pedes habet. Contra Stollberg de Vesuvio: *Seine Tiefe (an. 1767) ward auf 60 Klaftern geschätzt.* De quo eodem incendio Hamilton, qui tunc in ipsis illis locis adfuit, in Gentleman's Magazine Novembr. 1769. p. 529. *And in some places 'tis near two miles broad, in most sixty or seventy feet deep, and in one place called Fosse grande, 200 feet deep and 100 broad.* Adde de Aetna monte Dolomieu Catalogue etc. pag. 140. *sie überziehen die Gegenden mit einer mehrere hundert Schuh dicken Rinde.* Nonne autem poetam verisimile est aucturum potius fuisse quam imminuturum rei miraculum?

Quare, nisi coniecturae hanc mensuram deberemus, nihil monerem. nunc quidem non accipio, ob hanc maxime causam: Versum praecedentem ex Codd. lectione finiri videmus: *Vix cuneo — fixo dimoverit illas.* Quod, quo referatur, nusquam quidquam habet. Nam *moles*, quod supplent, ubi legitur? *Molem* versu 499. habuimus. quam longe petitum! interea faces, saxa, ignes, amnem habuimus. et quod maius est, in alia plane enarratione illud usurpabatur. Hanc ergo vocem plane vitiosam ad nostrum versum adiungens sic lego:

Igni

Vicenos persaepe dies iacet obruta moles.

His demum expleta descriptio est; durescere lapidem, sed tantum esse fervorem, ut vix unquam frigescat. Itaque vere Fazellus I. II, 4. pag. 54. *ignes alio suum iter converterunt ac vigesimo post die extincti sunt.* Duae tamen res sunt, quae explanationem potant. Primum, si quis dixerit, non posse post quintum pedem plenioram pausam fieri; non spernere Lucilium hunc exitum, supra docuimus; deinde vocis elevandae emphasis, quae hic maxima est, in censum venire ipse Bentl. docuit. Alterum est, quod, ut Lucret. dixit IV, 924.

cinere ut multo latet obrutus ignis.

sic Lucilio non igni obruta moles, sed mole obrutus ignis dicendus esset. Verum quem in Lucilio hypallage morabitur? Neque profecto lenior eius figurae usus est apud Virg. Aen. I, 195.

Vina bonus quae deinde cadis onerarat Aetes.

cf. III, 496. Valer. Flacc. III, 721. et eundem locis plurimis. Et si antiquam lectionem, vel Dorvill. emendationem amplexus eris, nonne tamen pari modo obruta moles pro mole terram obruente diceretur?

v. 511) *Materiam ut credas.* Interpolatitia lectio, quum vetus fuerit: *materiamve aliam credis* — et credis favillam furere materiam aliam igne; hoc est, si credis illam favillam, quae furit, aliam materiam esse, quam ignem. Nam propterea vocavit Virgilius, *candentem favillam*, ut eam ostenderet ex vere flammante igne erumpentem; quum etiam favilla mortua, quam *μαρτὴν* vocant Graeci, possit emitti ex pigris et sopitis ignibus. Sed ignis Aetnae est vegeta flamma, non tantum *λιγνός*. Quare immerito reprehenditur Virgilius ab illo Graeculo, cuius cum nugae in commentarios suos retulerit Gellius, non tantum illi sed et sibi *ἀβελτερίαν περιβάλλεται*. Porro dixit *aliam igne*, ut Horat:

Nive putas aliam sapiente bonoque beatum.

Est ἑλληνισμός. Sed consultius, si pro *furere* legamus *furvo*. Haec sane vera est et certa coniectura. SCAL. Lectionem vulgatae Codd. auctoritate fultam in hoc et vs. sq. retinui; sensum verum interpunctione effeci, qui omnes interpretes latuit. Negat enim Lucilius, non quidem bitumine, sulfure, alumine ignes iuvare, hoc enim supra ipse docuerat, sed lapidem molarem ex his materiis cum favilla mixtis per ignem *oriri*; quae sententia est I. A. de Luc apud Breislak. III. pag. 178. Esse potius a natura creatum hunc lapidem; nec fabricatum ab igne, sed eius *causam* et pabula. Quod et propter sequentia acriter tenendum est, et ut intelligas lapidem molarem ipsam nostram *Lavam* esse; eam quidem, quum haec vox latius pateat, quae propter usum lapis molaris appellari potuit; cf. Dolomieu Catalogue raisonné des laves de l'Etna, vers. Germ. pag. 152 sqq. et 248 sqq. et saepius.

v. 512) Repete si. Si plurima etiam in ipsis praeterea *προπαράγγειν* putas; hoc est, ut loquitur Ennius, plurima praeter

propter concrecere; nimirum *προκαταρκτικῆς αἰτίας*. SCAL. —
Sique. *Lege: Sique* SCAL. *Sive* Codd.

v. 513) *Commisum lento*. Veteres Edd. habent constanter:
commisum vento. Fortasse, *commistum Veneto*. Nam bitumen
 Venetum vocari puto, quod Martialis Venetum lutum dixit:

Resina, Veneto vel resecare luto.

Nihil tamen affirmo. SCAL. *lento* Codd.

v. 514) *Nam post exustam cretam quoque robora fundit*.
Lego: nam post exustae cretae quoque robora fundit. Robur cre-
tae, ut alibi robur ferri. SCAL. Ex optima et verissima Wernsd.
 emendatione *Posse pro post, fundi pro fundit* recepi, retento ta-
 men: *exustam cretam*. De sensu cf. ad v. 391.

v. 515) Et figlinas huius rei fidein facere; nam ibi esse fi-
 glinas; quae non esset, si creta ibi non erueretur. SCAL.

v. 518) *Lego: verum tibi certo pignore constet*. Nam *pigno-*
re, hoc est, sequenti comparatione confirmat. SCAL. Non cedo
 Scal. Nam alia, quam Lucilii, sententia efficitur. Hoc dicit: Si
 levissima quaeque signa, multisque rebus communia temere arri-
 pis, et causas undique anxius corradis, in *rebus talibus, ubi cer-*
tissima veri testimonia adsunt, veluti in Aetna, perverse rem
tractas. Contra Scaligeri ratio communis ipsa esset et generalis.
 Ergo aut *ubi* retinendum, aut si hiatus molestus est, *si* reponen-
 dum, quod non semel *ubi* cessit, et contra. *Trepidare* ut Liv. II,
 28. *Ne in foro subitis trepidaret consiliis*.

v. 519) Legendum omnino est:

Nam velut arguti natura est aeris, et igni

Quum domitum constat, eademque et robore salvo,

Utrum utrum ut possis aeris cognoscere portam.

Hoc est, ut ferri eadem natura est, et quum fusum est, et ante-
 quam funderetur, ut una eademque vis sit illi. SCAL. *Quam*
domitum est ex Codd. scribendum putavi, nam *constare* admodum
 dure diceretur de *fluente aere*, praesertim cui *robur aeris* oppo-
 natur. Orationem autem ita paulo impeditiorem nanciscimur:
 Veluti natura aeris est — Haud aliter etc. *Quam vitabis, si in*
vitiosa Codd. scriptura corrigas:

Nam velut arguti natura eadem aeris, et igni

Quam domitum est, constat, eademque et robore salvo;

Sententia est: ut aes non igne fit, sed liquefit, ita lapis molaris non ex varia materia concrevit, sed ante ignem idem est, qui post ignem. *Argutam* aeris naturam memorat, quia etiam *Lava*, quam vocamus, est *arguta*, quo melius comparatio constet. cf. Breislak, III. p. 231. et aliis locis.

v. 521) Veteres editiones: *ultra quam possis*. Suspensus sum posse legi non incommode, *utrum utrum ut possis*. Nam *utrumtrum* compendiose scriptum fuisse auguror. Plena sententia esset, ut nescias, utram possis cognoscere. Tamen illud *portam* suspectum mihi est. SCAL. *Utramque ut in Cod. 3, est. partem* Gorallus dedit. Fortasse verius scribas:

Ultra quam possis ignis cognoscere portam.

ut nunquam perspicias, quid ignis labore et exitu in aeris natura mutatum sit. *porta* est apertio, pro usitatore *via*, *ianua*, uti apud Lucret. III, 67. ubi cf. Wakef.

v. 522) *tenet*. Putem Graecanice dictum *ούτως έχει*. SCAL. cf. Gorall.

Ibid.) Ambitiosius liquidas flammam *madentes* vocavit. *Υγρόν μένος πυρός* dixit Empedocles. Vereor tamen, ne legendum sit *domantes*. *Παντοδαμάτωρ πῦρ*. SCAL. Imitatur Claudian. nostrum R. Pr. I, 242.

Incoctum maduit lassa fornace metallum.

v. 523) Indicativos, non *Effluat — sit*, ex Codd. H. et 3. scripsi. *Effluit* etiam Cod. 2. servat.

v. 524) Conservat, hoc est, *οὐκ ἀλλοιοῦνται*, ut vinum dicitur perdere notam, quum aut acuit, aut alio quovis casu alteratur. Nam dicebant *nota vini*. Horatius: *Ohio nota si commissa Falerni est*. Quod tamen non vini sed nummorum proprium est. Nam malae notae nummi *πονηροῦ νόμματος, παράσημοι, κίβδηλοι, παρασκευασμένοι* Aristophani. Hinc tralatitiae *homines de meliore nota* Ciceroni et Catullo. De vino vero et fructibus proprie *nomen* dicebatur, a quo dixit Cato: *ne vinum nomen perdat*. Virgilius;

Nec Baccho genus, aut pomis sua nomia servant.

SCAL. Stat. Silv. I, 1, 15.

Hunc mitis commendat eques, iuvat ora tueri

Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.

ubi est. Interppr. hanc vocem explicantes et Handium.

Ibid.) Nec vultu perdidit ignes. Etiam in ipso vultu indicat ignes, nam *πυρρόος* est ille lapis. Sed non male legeretur:

nec vultum perdidit igne.

Nam dixit, *conservare notas.* SCAL. Nihil erat apertius, quam corrigere:

nec vultu prodidit ignem.

Scal. et rell. interpretationes plane contrarias Lucilio esse, ex prioribus sequitur. Ut aes post ignem est, quale antea; ita lapis molaris notas conservat nec externa species ab igne mutatur. De temporum variatione, si quemquam dubitare suspicarer, exempla proferrem. Hoc moneo, contracti perfecti formam iusto saepius in hac structura statui, neque *fumât* esse scribendum Virg. Aen. III, 3. neque *exturbât* Lucr. V, 50.; adeo ut hanc personam non magis in prima coniugatione contrahi aiam, quam tertiam pluralis formari in *are*, pro *arunt*.

v. 525) *Quin etiam externam.* Nondum illam hydram consecimus. Lege:

Quin etiam externum nil ei color ipsa resolvit,

Non odor aut levitas, putris magis ille magisque

Una operis facies.

Quin etiam color ipse nihil eis externum admiscet; hoc est, ne colore quidem suo indicant sibi quidquam externi admistum esse. Neque aut odor aut levitas eos distinguit inter se, ut iste sit putris illo magis, ille minus. Una facies quippe eis est, eadem per omnia terrae materia. SCAL. Praeterea, quas Wernsd. et Gorall. quasi interpretationes versum corruptissimorum protulerunt, non veriores, quam Scal. Vulgatam habes, si pro *nil ei*, *multis* in Scal. lectione scribis. Dura res est; nam, antequam verum edoceam, falsam Vulgatam esse demonstraturus, quid faciam? Ego sensum in his verbis prorsus nullum video; est itaque cum Scal. contra morem decertandum. Quis ergo *resolvere* dixit; aut quis

dicere potuit pro *admiscere*? et *externum* num maius aliquid est, quam *vultus*? cur igitur *quin etiam* addit? At illud multo gravius: *Neque aut odor aut levitas eos distinguit inter se.* Quem hic odorem habemus? neque *levitate* differunt? qui ab igne exusti pumices frunt, omnium lapidum levissimi? Et quis eos putrescere negabit? *Non lapides quoque vinci cernis ab aevo? non aetas turris ruere et putrescere saxa? et tamen una operis facies?* Quis haec explicet? et qui ita sapiens est, is porro mihi velim exponat, cur lapidem mihi derépente *terram* nominet? si quidem *terra*, quando est pro lapide, variarum rerum durum aliquod concrementum significat, cf. Plin. H. N. XXXIII, 4, 21., quod Lucilius de nostro lapide negat ac depegat. Tu mecum ita computa: Demonstrat poeta certo pignore, lapidem non esse variarum rerum concrementum, cuius iam alterum argumentum affert. hoc ostendit, *Quin etiam.* Ex sanis igitur vitiosa indagemus more nostro: *Quin etiam* lapidem aut multus calor (ita Cod. 3.) aut aetas (ita Codd. H. 2. edd. antt.) — resolvit; putris ille magis magisque una operis est facies atque eadem terra. Quid quaeso apertius, quam lapidem resolutum aetate unam terram ostendere, neque cretam aliasve materias, ex quibus alii eum concreescere aiebant? Iam verba ita refingo:

Quin etiam extra quum multus calor ipse resolvit,

Udorve aut aetas; putris magis ille magisque

Una operis facies eadem perque omnia terra est.

Quum excidisse, clarum est, quoniam apodosis particulam flagitat. externus, extremus (extremam hic habet Ed. Nurenberg. an. 1492) hesternus ubique confunduntur. cf. N. Heins. Adversar. p. 233. Tibull. I, 9, 57. III, 4, 2. ibique Huschk. Extra dicit, ut semper occulta ex apertis illustrat, supra effluit ex monte, hic eum tabescere extra videmus. multus calor ex Cod. 3. est. ipse calor ne te offendat, fervorem et ignem eum plerumque solvere, memor esto. cf. Huschk. ad Tibull. I, 4, 7. Udor haud raro exterminatus est, adeo ut fere nusquam appareat, hic in odor transierat. Udorve autem vocis evitas scriptionem effecit. Habent vocem edd. antt. apud Grat. Cyneg. 50.

Tantum ne subeat vitiorum pessimus udor.

eandem reddere Lucretio Bentl. voluit II, 464. VI, 501. improbante Wakef. qui tamen ad VI, 495. Lutatium attulit (ad Stat

Theb. I, 206.) *Secundum Lucretium, qui dicit ex udore terrae nebulas oriri etc. et Glossam veterem: udor: ὑγρασία. Quae si omnia non satisfaciant, lege: Roditur aut aestate. Me dissuadente. Ceterum omnia poetarum loca afferre, ubi tres illae putredinis causae copulantur, longum est. Rationem coniunctionis docet Lucret. V, 236 sqq. adde Lucan. VII, 844. Stat. Theb. IX, 301. XII, 99. Lucan. IX, 448. Ovid. Pont. IV, 8, 49. Metam. XV, 156. 362. Prop. IV, 1, 61. [III, 2, 21.] Auctor Phoenicis 34. alia multa ap. N. Heins. Advers. 366. Imitatur Petrus Bembus: aestate pallescunt et resolvuntur. eadem perque omnia omnes Codd. tuentur; vulgo: eademque per omnia. sensu alio. De re cf. Dommieu Catalogue etc. pag. 322 sqq.*

v. 529) His versibus distinctione succurri. Facilis est suspicio, non *furere sed fluere* legendum esse. Sed caute agendum. *Furere* dicit, quia dissiliens reliquas materias accendit ipse, non bitumen et alumen, quae tantum flammam iritant.

v. 530) Hic rursus suo more Lucilius loquitur, quem puto Senecam tetigisse Ep. 59. *Invenio tamen (in Lucilii poematis) translationes verborum, ut non temerarias, ita quas periculum sui fecerint. Aut tamen omnia me fallunt, aut hic fraus librariorum est, vera autem scriptio haec:*

*Quin ipsi cuidam Siculi cognomina saxo
Imposuere phricas.*

Nam vs. 532. *Fusiles* omnes Codd. habent. i. e. *Fusilis esse notas. Mutarunt, quia aut ipsius versus nostri oratio eos fatigabat, aut quia vs. 523. nunquam tamen illa liquescunt, in numero plurali pergit.*

v. 531) *Fricas.* Hoc verbum non est nauci. Esset aliquid *phrycas* παρὰ τὸ φρύγεσθαι. Sed oporteret illas in sartagine frigi, et verius dici *ταγγιστούς*, ut pisces Athenaei. Quare, ommissis nugis, *chytas* legendum esse mihi persuadet *fusiliam*, apud Graecos communis et unica appellatio. Omnes enim *χυτούς λίθους* vocant. Plato Timaeo: *τυγγάνει δὲ ταῦτα τὰ μὲν ἔχοντα ἑλαττον γῆς ἢ ὕδατος, τὸ τε περὶ τὸν ὕαλον γένος ἅπαν, καὶ ὅσα χυτὰ λίθων γένη καλέτται.* Vide Theophrastum περὶ λίθων et alios. Nisi esset ὄντως, *rhytas*; sed non puto. SCAL. Non etiam

sed et iam scribendam fuisse, non est quod multis doceatur. Ceterum de nomine illius lapidis laborandum non esse censao. Nam etsi Graeca vox quaedam in *phricas* latere videtur, quia ad eius etymon poëta, in voce barbara non factururus, provocat, vix tamen usu recepta sed Aetnae accolis propria fuit, quum non Graecum illud nomen sed diserte Siculum appellet. Unde concludere possumus, formam aliquam a *φέω* ortam et digammate Dorico autam, inter tot autem verisimilium suspiciones vix cum aliqua probabilitate investigandum nobis in vitiosa lectione abscondi. Similiter Fazellus I, II, 4. pag. 50. *Verum ex consuetis iis lapidibus, quos Catanenses barbara voce xaras appellant, quum natura pingue aliquid habeant, temporis vi confractis — arenosi fiunt cineres et praepingues. — In eo coenobio egressis xarae et lapides molares nigri occurrunt.* Fazelli xarae videntur iidem esse, qui Sciarra hodie vocantur. Esse *phricas* lapidem eum, quem nostri homines obsidianum vocant, iam supra verisimile esse, probavi et quia descriptio huic maxime convenit et quia praeter lapidem molarem vix ullius tanta sit copia; licet non tanta quam in Lipara insula. cf. Comit. de Borch. p. 55. Antiquorum autem *λίθον ἀψιδανόν* eundem esse ex Aethiopia petiitum, quam quem nos ex Islandia nunc perfectissimum accipimus, docuit Blumenbach. Specimen hist. nat. ex auctoribus classicis illustratae etc. p. 18. cf. Scip. Breislak. et notam Strombeckii Tom. III. p. 194. imperfectum hoc vitri genus in Aetna monte, cf. Dolomieu Catalogue etc. vers. germ. pag. 137. et 264 sqq.

v. 532) Iam saepe docuit humorem, quem in se habent *χυριοὶ λίθοι*, esse pabulum ignis. *τὸ γὰρ τηκτὸν*, inquit Theophrastus, *δυνικμον αἰεὶ καὶ ὑγρότητα ἔχει πλείω*. SCAL.

v. 533) Versus sententiam de densitate minore interpretatur Wernsd., reiiciens Goralli coniecturam: *Ni penitus venae fuerint commista molari.* Atque verum est, et levissimum esse lapidem obsidianum et pinguitudinis sensum quendam vel oculis vel digito tentanti excitare; sed verba non haec habent. Est potius: neque qui omnino divitiis lapidis molaris comparari possit.

v. 537) Suppositum a correctoribus Heracliti nomen, quasi,

etiam non tacito nomine, κατ' ἔξοχὴν obscurus ille liber, hoc est σκοτεινός vocaretur. Veteres editiones pro Herseleti habent:

Et dicas vero nihil insuperabile igni.

Quare lego audacter:

Et discet vero nihil insuperabile ab igni.

Nam ea est sententia Heracliti: ἐκ πυρός τὰ πάντα συνίσταται, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεται. Cuius sententia ultimum verbum eo versiculo expressum vides. Et sane non satis erat dicere, nihil igni insuperabile, quum ea disputatio non sit; sed quum de igni tractetur, et de igne quoque hic mentio desiderabatur. SCAL. Scaliger quidem, editiones antiquas pravam Cod. 2. correctionem secutas ante oculos habens, aliter iudicare non potuit. Nos iam Heracliti nomen retinemus, quod Cod. 3. omnibus litteris exhibet; et Helmst. etiam praebere, quis non videat, qui quidem oculos habet? Neque sane magis hic eius nomen abundat, quam apud Lucret. I, 689.

Heraclitus init quorum dux proelia primus,

Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes etc.

Correctione tamen opus fuisse, VV. LL. ostendunt; quam veram me proposuisse non dubito, pro ubi reponens ei.

v. 538) Lege: *omnia quo rerum naturas semina iacta.* Ex quo igne, inquit, omnia constant. Annon igitur his duobus versiculis continetur Heracliti sententia?

Et discet vero nihil insuperabile ab igni,

Omnia quo rerum naturas semina iacta.

Ἐκ πυρός τὰ πάντα συνίσταται καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεται. Cuius rei causae videntur tractatae fuisse in illo commentario Physico, qui vulgo σκοτεινός notissimo nomine vocabatur; ut necesse non sit, sicuti iam monui, Heracliti nomen addere. SCAL. Ego, quod verisimillimum videbatur ex VV. LL., rescripsi: *cui rerum,*

v. 539) Sed nimium hoc mirum. *Εἰς πῦρ τὰ πάντα ἀναλύσθαι.* Est obiectio; sed hoc mirum, inquires. SCAL. Haec explicatio non facile cuiquam satisfaciet in hoc sententiarum tenore. Neque Goralli probanda correctio: *Nec nimium mirum, nemo enim poeterum ita locutus est. potius scribendum erat: Sed*

minime hoc miram. nimium et minimum semper confundi, notum est. cf. v. 617.

Ibid.) Respondet obiectioni, quam confirmat exemplis; eaque puto omnia petita ex obscuro illo commentario. SCAL.

v. 545) *Et* ex Codd. H. et 3. addidi.

v. 548) *Nec lapis.* Reponere ex antiquis excusis: *Nam lapis ille riget.* Non potest, inquit, *ἐλαύροθαι* et malleo duci, si tundatur; sed omnino resistit ictibus et riget. Item si exiguo et leni igne, patente coelo, nec inclusum tetras, resistit ignibus. Sed aegedum, patere in obscuris fornacibus candere et coqui, haud dubie duritiem exuet, nec durabit in ignem. Haec, ut iam dixi, exempla non dubito quin hauserit ἐν τοῦ σκοτεινοῦ βιβλίου. Siclicem vero *fusilem* vocamus vulgo et ab eo omnia igniaria fusilia. SCAL. *Nam* in omnibus Codd. est. *perculsusque* ex Cod. H. scripsi; neque interpretor de tundendo, sed ad ignes adiungo. Nam quis lapidem malleo ducere voluerit?

v. 549) Ut concedam *torrere*, ut vulgo scribunt, non solum de tabe cinerosa igne effecta usurpari, sed etiam de liquefaciendis lapidibus; tam vage tamen hic, ubi *torreri* plurimos lapides ait, liquefieri fere hunc unum, poetam loquuturum fuisse putandum non est. Atque Lucilius ipse eo nos flectit, quo eundem est. *percelli* eum igne negat mediocri, quae eadem vox, etiam hic, uti ipsius Cod. 3. vestigia nos ducunt, reponenda erat: *Si parvis terrere velis* Sic *aestu torrere* Tibull. III, 5, 27. ubi similis fluctuatio.

v. 550) *Candenti pressoque* omnes Codd. non, quod edd. habent *Candentem pressumque*. De re cf. Breislak. III. p. 227.

v. 557) *Fervet.* Lege: *Fervat. Fervere Lemcaton.* SCAL. Non est quod coniunctivum praeferas. Etiam post *non est* quod indicativum oratio permittit. Similiter Grat. Cyneg. 192,

Tum non est victi cui concessere labori.

v. 559) *Additus;* vel *abditus.* SCAL. *additur* veluit Christoph. Wolfius apud Wernsd.

v. 561) *Fabriles operas.* Lege *operas, γυλκουροφ.* SCAL. Cod. H. emendationem confirmat; *opera* Cod. 3.

Ibid.) *Lego: tudibus contundere massas. Tudes sunt mallei.* Festus. Inde verbum *tuditare* Lucretio, pro extundere. SCAL. Haec mutatio ex illo errore se propagavit, quo malleo tundi percussos lapides putaverat, v. 548. Sic neque hic malleo metalla ducuntur, sed igne liquefiunt, follibus flammam instigantibus. Etiam Wakef. ad Lucret. alio argumento vulgatam confirmat, II, 1144. quia *tudibus* ex arbitrio pro *tuditibus* positum sit.

v. 562) *Lego tumentes, quae enim sufflata sunt, tumida dicuntur.* Unde *sufflare se* pro irasci posuit Plautus. Eadem etiam de causa in *fermento esse*, quia, qui irascuntur, tumidi fiunt. Et *tumentes* pro iratis dixit Plinius in Panegyrico Traiani: *Principes ad odium sui leniendum, tumentibus plebis animis obiectabant.* Ego, ut dixi, verum esse puto *tumentes*; nam fere semper ita coniugabant haec duo, adeo, ut et separatim *follicare* pro tumere usurparent, ut Hieronymus ad Eustachium de custodienda virginitate: *follicantes caligas*, i. e. distentas seu tumidas; et eleganter in Glossario follis exponitur *ἀσκός*, quo significatu legitur apud Appuleium et alios. Ideoque etiam corpus humanum *folliculum* dixerunt. Lucilius apud Nonium in folliculo. Sic Graeci *θύλακον* usurpant. Theodoretus de martyribus Lib. III. *Οὐδὲ γὰρ Ἀνάξαρχος ἐκεῖνος, ὃς ὑπέρους πτισσόμενος σιδήροις ἔλεγεν, ὡς φασίν. πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον γὰρ οὐ πτίσσεις.* Quod ex Diogene Laërtio sumsit, Lib. IX. ubi ita legitur, *πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πλήττεις.* Ad verbum expressit Tertullianus Apologetico, cap. ultimo: *Anaxarchus, quum in exitium ptissanae pilo contunderetur; tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis.* Atque ut hi *follem* dixere, sic Varro *corticem* in Tithono, *παρὰ γήρωος: Sic invitata matura anima corporeum corticem facile relinquit.* LINDENBR.

v. 563) *Fressoque omnes Codd. scribunt,*

v. 564) *fama est. Possset legi: Summa est. Nihil muto.* Est autem totius operis Epilogus. Aetna ardet. Quare? In fistulosa terra spiritus excitatur, ex spiritu ignis. Pabulum ignis maxima saxa, quae vocavit molaria. Ita breviter complexus est to-

tius disputationis summam. Quam et Lucretius quoque ita exsequitur:

*primum totius subcava montis
Est natura, fore silicem suffulta cavernis.
Omnibus est porro speluncis ventus at aër.
Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër;
Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum,
Saxa ferens, qua contingit terramque et ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem etc.*

Sed in his verbis Lucretii tertius a fine mendosus est. Legendum enim:

*Hic ubi percellit, calefecitque omnia circum
Saxa terens.*

Percellit ἀρχαϊσμός pro *perculit*, ut apud Virgilium. *Cynthius aërem Vellit*. Vide Priscianum et Diomedem; nam non calescit spiritus ille, qui fit aëris agitatione. Quod si concedamus, non illum calorem ea agitatione acquirere potest, qui saxa incendat. Sed ex mutuo attritu saxorum, quae ipse inter se percellit, exciduntur scintillae, quae exceptae materia sulfurea, qua totus ille mons abundat, accendunt ignem. SCAL. *Forma* ex Christ. Wolfii conjectura recipiendum putabam. Refertur enim non ad sequentia, sed ad opus accurate explanatum in antecedentibus. *Summa* esset, quod Virg. Aen. I, 342. dixit:

*Longa est iniuria, longas
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum.*

Forma est accurata descriptio. Cic. de Fin. II, 15. *Habes undique expletam et perfectam, Torquato, formam honestatis.*

v. 566) *Spiritus incendit vivus*. Haec est veterum excusorum lectio. Quae mirum quantum nos iuvat ad verum indagandum:

urget in arctam

Spiritus, incendi cui vis per maxima saxa.

Hoc est, qui incendi vires acquirit ex mutuo maximorum saxorum attritu: *Maxima saxa*, ut iam monui, vocat molares lapides. SCAL. Nos Codd. ope adiuti una littera *t* addita locum emendare felicius potuimus, *incendit*, pro *incendi* scribentes. apparet enim *spiritum*, non ut iubent Codd. H. 3. et Wernsd. debere cum

genitivo *incendi* coniungi. nam terra non *ventos* trahit, sed aereni, spiritus autem incendii esset vis flammaram; ergo in quibus omnis Lucilii ratio unice nititur, venti nobis erepta essent. quare corrigo:

Spiritus incendit, vivit per maxima saxa.

v. 567) Pulcherrima coronide Epilogum claudit; quae tota constat ex narratione veterum monumentorum; sed et haec quoque corrigenda sunt:

*Magnificas laudes, operosaque visere templa
Divitiis hominum, aut sacra marmora resve vetustas
Traduce materia, tetrīs per proxima fatīs
Currimus.*

SCAL. *Aedes* ex margine Pith. recepi.

v. 568) Recepi acutissimam et verissimam Scal. emendationem. Vulgata ex Ood. 2. profecta est. interpretor de signis Deorum et aliis monumentis vetustis ad historiam pertinentibus. hinc simul patet, cur *aedes et templa*, deinde *aut marmora resve* recte legamus.

v. 569) Scribimus: *tetrīs per proxima fatīs*; hoc est, per summa discrimina, ut infra:

Haec visenda putas dubius terraque marisque.

Dixi, quod potui. neque enim satis confido huic lectioni. *Opera traduce materia* eleganter vocat ea, quae Graeci ἀργύματα, utpote quibus multa similia ad exemplum derivata sunt, ut ex rumpis et traducibus vitium multae aliae. Porro, ut hic *traduce materia*, sic apud Tertullianum, *producem mutui coltus*, libro de Carne Christi. SCAL. *Maria et terras* ingenio Anton. de Rooy debemus; *traicimus* ejuādem pro *Traducti* Codicis H. sprevimus. cf. Huschk; ad Tibull. I, 1, 5. Proxime accedit Cic. de rep. I, 3. *Sed haud facile dixerim, cur, quum ipsi discondi et visendi causa maria trāmittant . . .*

v. 570) Fragment. pugn. Actiac. apud Feam Horat. Praef. P. XXII.

Ni gloria mendax

Multa vetustatis nimio concedat honori.

Sene. N. Q. III. Praef. qui mundum circumire constitui et quantas se-
eretaque eius eruere.

v. 573) Reponendum ex veteribus Editionibus: *Cernere quod
fratres, ille impiger, iste* etc. SCAL. Ego Vulgatam que et, quae
est in Cod. 2. retinui, eodemque reliqui Codd. nos trahunt. Ne
ille — illo, quod Codd. omnes habent, pro *alter — alter*, cum
Scal. corrigere velis, cf. Huschk. ad Tibull. III, 6, 13.

Ibid.) Scribo:

ille canoris

Cordeis Fenices alieno interserit aevo.

Cordeis pro *chordis*, unde fecerunt *Condere*. *Fenices, Phoenices*;
hoc est, Thebanos, quia ex Phoenicia orti sunt, propter Cadmum.
Vel fortasse nihil mutandum, ut *canorus condere felices*, sit ea
figura dictum, qua Horatio, *celer sequi* et similia. Condit felices
Phoenices Poëta aut Hymnologus eos, quos carminibus suis et mu-
sica celebrat. *Alieno aevo*; id est, longiore quam quo vivimus.
SCAL. Locus hic nec paucis nec parvis difficultatibus laborat.
Itaque vides, quanta mutatione Scal. aliquem tamen sensum intu-
lerit. nam editiones ita habebant:

Cernereque et fratres, ille impiger, ille canorus

Condere felices alieno interserit aevo.

Invitata pio nunc carmine saxa lyraque.

Neque reliqui interpretes magis audiendi sunt, vel propter unam
illam causam, quod maximam difficultatem vel non viderunt, vel
silentio praeterierunt consulto. Nonne enim aperte res eadem his
enarratur? *nunc* iuvat muros Thebanos cernere, *nunc* saxa carmine
invitata? Neque, mihi crede, extundes quidquam, nisi mecum,
quod certissimum est, haec statuis: *nunc* rursus stolidum illud
versus fulcrum esse, quale in hac voce et supra habuimus et habe-
bimus infra. Hac autem voce correctâ, et *interserit* ex Cod. 3.
vestigii in infinitivo reponendo, sic sensum planissimum effeci-
mus:

Cernereque et fratres, ille impiger, ille canorus

Invitata pio duce carmine saxa lyraque

Condere, felicesque alieno interserere aevo.

Proximus Lucilio Silius est, VI, 444.

*Exaudita chelys lapidem testudine felix
Ducere et in muros posuisse volentia saxa.
Haec Amphionio vallavit pectine Thebas,
Ac silico aggeribus per se scandente vocatis
Iussit in immensum cantatas surgere turres.*

vel etiam Sidonius Apollin. Carm. XVI.

*Ogygiamque chelyn, quae saxa sequacia floctens
Cantibus, auritos erexit carmine muros.*

De copula *que*, bisyllabis et trisyllabis *e* brevi terminatis, addita cf. Ioh. Schrader Emendatt. pag. 77 sq. — de carmine duce vide Bentl. ad Horat. Carm. III, 3, 65. et Nic. Heins. ad Claudian. Praef. in Rufin. I, 13. felicesque ex Codd. H. et 3. addidimus. Denique fratres Amphion felices alieno aevo ita inserit, ut apud Lucan. I, 447. Druidae excitantur:

*Nos quoque, qui fortes animos belloque peremptos
Laudibus in longum vates dimittitis aevum.*

vel Auson. Cupido 15.

Rursus ist' amissum revocant Heroidas aevum.

v. 576) De fratribus Thebanis, quibus quum hostiis parentarent quotannis cives Thebani, fumus in diversa dissiliebat. Pausanias Boeoticis: Ἐξῆς δὲ ἐστὶ τῶν Οἰδίποδος παίδων μνήματα καὶ τὰ ἐπ' αὐτοῖς δορούμενα, ἃ οὐ θεασάμενος πιστὰ ὄμως ὑπέβληται εἶναι. φασὶ γὰρ καὶ ἄλλοις τῶν καλουμένων ἡρώων οἱ Θεβαῖοι καὶ τοῖς πασιῶν ἐναγίζων τοῖς Οἰδίποδος· τοῦτοις δὲ ἐναγίζοντων αὐτῶν τὴν φλόγα, ὡσαύτως καὶ τὸν ἀπ' αὐτῆς κεντὸν θυγῆ διίστασθαι. Itaque manifesto legendum:

Nunc gemina ex uno fumantia sacra vapore.

non saxa. Nam intelligit ἐναγίσματα, quae fiebant illis. Statius Lib. XII.

Exundant diviso vertice flammae.

Eius historiae testem citat Callimachum Ovidius, his versibus:

Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis,

Consilium fugiunt caetera paene meum.

Consilium; commune sacrum quum fiat in ara

Fratribus, alterna qui periere manū.

*Ipsa sibi discors, tamquam mandetur ab illis,
Scinditur in partes atra favilla duas.
Hoc, memini, quondam fieri non posse loquobar,
Et me Battiades iudice falsus erat.*

Vide Epigramma Bianoris III. Anthologiae, titulo εἰς ἥρωες.

SCAL. Chr. Wolfius ita hunc locum legi volebat:

Unaque nunc gemino fumantia sacra vapors.

Sed novimus, puto, temerarias Lucilii verborum translationes.

v. 578) *Sparsa Lygurgi. Lege: Sparta Lycurgi.* Levis sane error, vel puero notus; tamen in recentioribus Editionibus, etiam in Antverpiensi, hactenus non animadversus. SCAL.

v. 579) *Alioquin numerus ad contemptum:*

Nos numerus sumus et fruges consumere nati.

Ex Graecorum proverbio ἀριθμός. Quod etiam de uno dici, non tantum de pluribus, adnotavimus apud Euripidem Heraclidis:

*Εἰδώς μὲν οὐκ ἀριθμὸν, ἀλλ' ἐτητύμως
Ἄνδρ' ὄντα τὸν σὸν παῖδα.*

SCAL. Quamquam emendatio Scal. omni dubio certior est, de interpretatione tamen non consentio. Quid enim Lycurgi instituta et Spartanorum militaris disciplina et veteris mendacia fama inter se commune habent? ad quae tamen mendacia tam priores fabulae quam sequentes omnes referuntur. Sed tam vaga oratio est, ut vix digito fabulam hanc demonstrare possis. Ego de Bellis Messeniis interpretes, cf. Pausan. IV, 5, 3. et Manil. III, 14.

*Non annosa canam Messanae bella nocentis
Septenosque duces, ereptaque fulmine flammis
Moenia Thebarum.*

nisi quis de ipso Graecorum iurato exercitu intelligere meluerit.

Ibid.) recenti. Lege regenti; penitus devoti regibus suis ad Ephoris, non sui, sed reipublicae et regum. Regens, στρατηγός.
In Culice:

quo flamma regente

Doris Erichthonias prostravit funditus arcus.

Quo regente, οὗ στρατηγοῦντος. SCAL.

v. 580) De Minervae et Neptuni certamine haec accipienda

Quare victricem Minervam vocavit, quod eius olea praeposita fuit equo Neptuni. SCAL. Oratio tam huiusmodi a Lucilio profecta esse non potest:

*Nunc hic Cecropiae variis spectantur Athenae
Carminibus, gaudentque sua victrice Minerva.*

Quare non vereor, ne quis vituperet, quod certissimam emendationem reposuerim:

gaudensque olea victrice Minerva.

v. 583) *permittere*. Omnino legendum, ut in veteribus: *praemittere*. Nam praemittenda erant vela candida patri, ut essent nuncia reditus. SCAL.

v. 584) *Tu quoque Athenarum carmen*. Ita legendus totus hic locus depravatissimus:

*Te quoque Athenarum carmen, iam nobile sidus
Erigone; sedes Pandioni vestra canoris
Te vocat in silvis; et tu soror hospita tectis
Acciperis.*

Tres Atticas puellas alloquitur; quarum primam sideribus, alteram silvis, tertiam tectis acceptam scribit. O Erigone, te nobile sidus vocat; o Pandioni Philomela, te sedes in silvis vocat; o Procne, tu tectis acciperis. Haec est, ni fallor, huius loci vera interpretatio. SCAL. Scaligeri emendatio ipsa coniecturam provocat; *vestra* enim a reliquorum verborum tenore abhorret. voluit fortasse:

*Sedes, Pandioni versa, canoris
Te vocat in silvis.*

Loci autem natura mihi talis videri solet, ut, licet sensu clarissimo, ipsa Lucilii manus restitui nequeat; tot se viae aperiunt emendaturo, quae tamen omnes habent, quod excusari debeat. Neque quidquam apponerem ex vago hoc coniectandi genere, nisi putarem, aliis hac mea confessione non satisfactum iri: itaque, ipsi ex quo eligant, vel etiam melius excudant, haec habento: Quando hanc fabulam attingunt, et quis non attigerit? poetae uno ore omnes causam moeroris addiderunt; quod nisi unum nostrum ab hoc usu recessisse putabis, sic corrige:

Caedemque Ityos *Philomela canoris*

Eiulat in silvis.

obstat tamen illud, quod ad Athenas omnes hae fabulae referuntur, quae relatio nostra coniectura, iniuria, ut puto, deletur. idem crimen est in hac altera, ceteroquin eleganti, si quid video:

Sedes versam, Philomela, canoris

Te iuvat in silvis.

vel etiam:

Sedes vestras Philomela canoris

Eiulat in silvis.

vestras. Athenarum. scimus enim hanc volucrum, si quam aliam, hominum coetus appetere: mihi quidem ea, quam recepi, et commodissima videbatur, neque longius a Codd. recedere.

v. 587) *Ferum* vocat, quod neque tectis, ut Progne, neque silvis, ut Philomela, acceptus fuerit, sed in praeruptis rupibus degat. Hoc plane ex politissimis Aeschyli versibus illustratur, qui habentur apud Aristotelem Lib. IX. de Historia Animalium; sed quia ita depravati leguntur, ut ne minimum quidem ipsos interpretari potuerit magnus vir Gaza; hic ego eos, quantum iudicare possum, correctos et emendatos apponam:

Τούτον δ' ἐπόπιτην Ἐποπα τῶν αὐτοῦ κακῶν

Πεποικίλωκε κάποδηλώσας ἔχει

Θρασύν πετραῖον ὄρνιν ἐν πάντενχλια

Ὅς ἦρι μὲν φαιόν τι διαπάλλει πετρὸν

Κίρκου λεπάργου· δύο γὰρ οὖν μορφάς φανεῖ

Παιδός γε ταυτοῦ νηδύος μιᾶς ἄπο.

Νέας δ' ὀπίρας ἦνικ' αὐξάνθη στάχυς,

Τίκτηι νιν αὖθις κάμφινωμήσει πέτρυξ.

Ἀεὶ δὲ μισεῖ τοῦδε Παλλήνης τόπου

Δρυμοὺς ἐρήμους, ἣ πάγους ἀποικίσει.

In quibus versibus primum allusum ad nomen Eropis, tanquam ἐπόπιτης fuerit malorum suorum. Deinde alium plumarum colorem illi vere ascribit, alium aestate. Nam ἦρι φαιόν πετρὸν illi dat κίρκου λεπάργου. Ait habere pennas accipitris, qui est λεπάργος, hoc est ventre albo, et habet φαιόν πετρὸν, hoc est fuscas pennas. Ubi sane considerandum est Aeschylum sine dubio

confudisse Cuculum cum Epope, seu Upupa, sed Cucullus φαίδων διαπάλλει πτερὸν κίρκου λσπάργου. In qua sane animadversione mirum in modum mihi placeo, quum et mentem Aeschyli plane odoratus sim, et menda ex tam depravato loco sustulerim. Fefellit Aeschylum, quod Epops eandem plane vocem cum Cucullo emittit. Propterea eundem Epopem cum cucullo fecit; qui, ut nemo ignorat, tam similis est accipitri, ut quidam in genere accipitrum posuerint, et nescio quid tale tetigerit Aristoteles. Porro ἤνικα αὐξάνθη στάχυς, hoc est, quum adulta est aestas, τίπτει εν αὐθις πτέρυξ, rursus renovat et quasi alium facit penna; hoc est, mutatus pennarum color alium videri facit. Odio vero Pallenus ubi ea Metamorphosis agitur, eum in tesca inhospita reli-gabit Iuppiter; hoc est enim τὸ ἀποικίσσει. Hoc sane extra ordinem. Sed cum ipse Corn. Severus ne sine corollorio quidem opus suum egregium de Aetna concludere voluerit; cur non et ego quoque cum hoc corollario hunc locum absolvam? Comparent ergo correctionem horum versuum cum vulgata Aristotelis lectione, et videbunt, qua alacritate tam luculentos tanti poetae versus a nobis emendatos accipere debeant. SCAL.

v. 588) En lepidum commentum librariorum:

*Miramur Troiae cineres et flebile victis
Pergamon.*

Quasi vero unquam victoria victis non flebilis fuerit, Troia autem non ipsa vel eo nobilis sit, quod victoribus non minus quam victis moeroris attulerit. Abeat ergo illuc unde negant redire quemquam malus error. nam vera Lucilii manus haec est:

*Miramur Troiae cineres et flebile bustis
Pergamon.*

amant harum vocum copulationem poetae. Stat. Theb. X, 903.

En, cineres Semoleaque busta tenentur.

Lucan. VIII, 529.

Bustam cineresque movers

Thessalicos audes.

Ovid. Fast. V, 425.

Iam tamen extincto cineri sua dona ferabant,

Compositique nepos busta piabat avi.

Trist. III, 11, 26.

Quid cinerem saxi bustaque nostra petis.

Sil. XV, 44.

*Dum cineri titulum, memorandaque nomina bustis
Praetendit.*

Lucan. VI, 734.

*Per busta sequar, per funera custos,
Expellam tumulis.*

Stat. Theb. XII, 426.

*Flebile gavisae, nec adhuc, quae busta repertum;
Sed placidus, quicumque, rogant, mitisque supremi
Admittat cineris consortem et misceat umbras.*

Simillimum praeterea sed longiorem locum cf. apud Lucan. IX, 961 — 979., quem Lucilius expressisse videtur. Eundem auctorem secutus sextum casum voci *flebilis* adiunxit. Lucan. VI, 532. *Et Dorion ira Flebile Pieridam VII, 691. Flebilis Africa damnis.* ubi cf. Schol. apud Oudend. et Stat. Silv. II, 1, 3. Theb. IX, 298.

v. 289) *Exstinctosque suos Phrygas, Hectors primum.* Locus depravatissimus. Veteres Editiones: *Exstinctosque suos Phrygas Hectors, parvum.* Lego: *exstinctosque suo Phrygas Hectors, parvum* etc. Simul cum suo Hectore exstinctos Phrygas. Horatius ad verbum ex Homero:

et ademptus Hector

Tradidit fessis leviora olli

Pergama Graiis.

*Exstinctos suo Hectore Hellenismus αὐτῶ τῶ. "Ἐκτροῖ δισφθακέ-
ρους, hoc est αὐτῶ τῶ "Ἐκτροῖ. SCAL. Loquitur ut Manil.
III, 7.*

Non coniuratos reges, Troiaque cadente,

Hectors venalem cineri, Priamumque ferentem.

Primum pro parvum, quod etiam Cod. 3. praebet, et iam Casp. Barth. explicuit, propter insequentem vs. Conspicimus magni tumulum ducis, negligendum prae Cod. H. lectione putavi. cf. elegans Pentadii eigr. 7.

v. 591) Vide, quanti Lucilius Paridem fecerit! post Hectorem, post ipsum Achillem, quasi nunc exemplar et speciem fortitudinis allaturus: *et victus iacet Hectoris ultor*. uti ingens ille Sarpedon. Aliter longe reliqui: Ovid. *Metam.* XII, 609.

Ille igitur tantorum victor Achille

Vinceris a timido Graiae raptore puellae.

et *Stat. Silv.* II, 7, 96.

Et fixum Paridis manu trementis

Peliden Thetis horruit cadentem.

Et Agamemnon apud Senec. *Troad.* 345. ut gloriantem Pyrrhum reprimeret:

Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.

Adde Incerti Epitaph. in *Burm. Anthol.* I. p. 79.

Hectoris Aeacides domitor, clam, incautus, inermis

Occubui Paridis traiectus arundine plantas.

et pag. 80. in fine Epigr. sequentis:

Laudibus immensis victor supra astra ferebar,

Quum pressi hostilem fraude peremtus humum.

ut recte P. Scriverius emendavit ex *Cod. vet.* Itaque vides, quo loco poëtae Latini hunc virum habuerint, qui non id pollicitus suae infamis ignavia erat. neque temere putares Lucilium scripsisse:

et fictus magni iacet Hectoris ultor.

vel quia Paridis formam Apollo induerat, transfixurus Achillem, vel propter alia simul multa, quae ficti nomen ei parare potuerunt. Non tamen omnes similia de eo tradidisse scimus. *Plin. H. N.* XXXIV, 19, 16. *Esphranoris Alexander Paris est, in quo laudatur, quod omnia simul intelligantur, iudex dearum, amator Helonae et tamen Achillis interfector.*

v. 592) Expressit Horatianum:

Suspendit picta mentem vultumque tabella.

SCAL. Vera lectio ex *Codd.* erroribus efficta a quo profecta sit, ignoro:

v. 593) *rorantis parte capilli*. Scribe coniectura nostra, quae et postea confirmata est veterum aliquot editionum auctoritate: *rorantes arte*, ut in Epigr. in eandem ἀναδυμένην :

Καὶ τοίαν ἐτύπωσε διάβροχον ὕδατος ἀφροῦ.

SCAL. Paene vereor, ne superciliosus videar, si in hac quoque felicissima Scal. coniectura invenio, quae desiderem. sed dicam, quod sentio. *rorantia parte*, ut Codd. H. et 3. scribunt, doctius aliquid continere videtur, neque reiiciendae sunt litterae *a, p*. Ex quo fingo:

Signaque nunc Paphiae rorantis ab arte capillos.

Capillos Cod. 2. habet; neque in ulla iunctura Graecus accusativus, quem vocant, frequentior est, quam in capillorum compositione. *Signaque* recte Wernsd. praetulit. ita 3. et 2. habent. Prius iam sic H. Tollius correxerat ad Auson. Epigr. 106, 2. Sallust. Jug. 11. *Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari.* 20. *Tabulas, signa, foremata emunt.* 52. *qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quam remp. fecistis.*

v. 594) Ovidius: *Inque oculis facinus barbara mater habet.* Uterque intellexit de Timomachi tabella. SCAL.

v. 595) Parrhasius pinxit. SCAL. Timanthis tabulam fuisse, iam ab aliis monitum est. cf. Ovid. Trist. IV, 4, 67. Prop. IV, [III,] 22, 34.

v. 596) Attribuunt industriae pictoris, et in eam partem interpretati sunt posteri. Ego vero puto pictorem Euripidem sequutum hoc fecisse; cuius verba de Agamemnone, sacrificio filiae assistente, haec sunt:

ἔμπαλιν στρέψας κάρα
Δάκρυα προῆγεν, ὀμμάτων προθεῖς πέπλον.

SCAL. *minoris. Myronis.* Et non omisit Antverpiensis editio.

SCAL. *Myronis* Cod. H. habet.

v. 597) *Quin etiam illa manus operum, turbaeque morantem.* Hoc non est unius assis. Veteres Editiones: *turbaeque minacae.* Lego: *turresque minaeque.* Minae sunt ἐπάλλξεις. Auctor Servius

in illud: *minasque murorum ingentes*. SCAL. Locum impeditum Scal. edd. antiquarum correctionem accipiens non restituit. Gorrallus *manum* de copiis interpretatur. sed vellem exempla apposuisset, *manum* sic dici de rebus inanibus posse. Et ut dici possit, quis unquam acui cupiditatem putavit, si eius explendae vel maxime copia data sit? ut recte de illis monumentis Plin. H. N. XXXIV, 17. *Quis ita mortalium persequi possit? aut quis usus noscendi intelligatur? Insignia tamen maxime et aliqua causa notata voluptarium sit attigisse. Ut nihil dicam de versu hiante. Quem vitans ita posses scribere:*

Quin etiam illa, manus operum turbasque morantur.

Manus operum est ars, vel sculpendi artificium, ut iam Wernsd. explicuit; cf. Prop. III, 2, [II, 12] 2.

Quicumque ille fuit puerum qui finxit Amorem,

Nonne putas miras hunc habuisse manus?

cf. Lachm. ad Prop. IV, 21, 25. et Gronov. Obs. III, 7. pag. 373. ed. Lips. Sed meram repetitionem priorum nancisceris, perverse per *Quin etiam* inductam, et *turbas* in hoc quidem tenore non unius assis sunt, ut ait Scal. Sed non vera refutare facilius saepe est, quam vera invenire. Ego sic colligo. Artis opera nos visere ait, naturam negligere. quod perversum esse:

Haec visenda putas, terrae dubiusve marisve?

Artificis naturae ingens opus adspice, nulla

Quum tanta humanis rebus spectacula cernes.

Videsne, quo exeat oratio? non pulchritudinem vel artis vel naturae comparat, sed ingentia huius opera praeter humanarum rerum pusillis spectaculis extollit; quippe ad Aetnae miracula rediturus. Huic autem sententiae transitionem iure nostro in vitioso hoc versu sibi munivisse dicemus. nam ad priora hiat sensus, ut quae unam artem contineant. Hac de causa sic corrigo:

Quin etiam moles operum turbasque morantur.

Plin. H. N. XXXIV, 18. *Audaciae innumera exempla sunt. Moles quippe excogitatas videmus statuarum, quas colosseas vocant. Valer. Flacc. I, 498.*

*Siderosa tunc arce pater pulcherrima Graium
Coepta tuens, tantamque operis consurgere molem.*

cf. Hand. ad Stat. Silv. I, 1, 2. Quid, si Statius Lucilium ante oculos habuit? Non temere enim simillima Myronis et colossorum iunctura orta sit in Silv. I, 3, 50.

*Quidquid in argento primum vel in aere Myronis
Lusit et enormes manus est experta colossos.*

Et quum sciamus, ipsius Neronis aetate colossorum maxime admirationem Romae viguisse, nonne dignissimum iudicis severi magistri auditore severo, stultam cupiditatem suorum temporum ipsam exagitare? Quid, si locus adeo monstretur mole simul et turba colossorum terrae marisque dubios alliciens? Plin. *ibid.* *Ante omnes autem in admiratione fuit Solis colossus Rhodi.* — *Sunt alii minores hoc in eadem urbe colossi, centum numero; sed ubiqueque fuissent, nobilitaturi locum.* Vulgo notum est, quam illius insulae claritas multis laudata fuerit. Unum addam. *Quin,* quod deest in H. et 3. ad explendum versum a Cod. 2. correctione ad nos venisse apertum est, quare nescio, an verius sic legas:

Illae etiam, moles operum turbaeque morantur.

v. 598) Scribendum erat *dubiusve marisve*. Non enim coniunctim proferuntur, ut apud Ovid. *Trist.* III, 2, 15.

Dum tamen et terris dubius iactabar et undis.

Sed in electionis haesitatione; ut in *Fragm. Pugn. Act. Fea XXII.*

Quid velit incertum, terris quibus aut quibus undis.

vel apud Prop. I, 6, 33.

Seu pedibus terras seu pontum carpere remis.

Cave tamen pro *utrum* — an positum dicas. Interrogationis signum hic iam Pith. recte scripserat.

v. 600) *rebus* in margine Pith. habet. *res* aperta est.

v. 601) *Sirius ardens. Ardet*, et tamen haec mihi suspecta sunt. SCAL. Utrum participium, *fervens* an *ardens*, inducendum, utrum tuendum sit, vix stabiliri ita possit, ut omnis dubitatio eximatur. Ego *fervet* scripsi, quum propter Cod. H. *ferves*, tum quia *Sirius ardens* haud raro versum finit, velut Claudian. *Rufin.* I,

243. *illum non Sirius ardens, etc. et eiusd. Epigr. IX, 5: non Sirius ardens. ubi cf. N. Heins. et Sil. I, 256. contra Prop. III, 22, [II, 28] 4. Incipit a sicco seque terra cane. Præterea verborum iunctura lenior est, quam vigil fervens Sirius. De reliquo versu non erat, quod suspicionem cum Scal. Gorallus et Wernsd. moverent. Sirius tempus autumnale describit, quod quia incipit, modo oportinum sidus est, velut Hom. II. s, 4, et qui hunc imitatur Valer. Flacc. VI, 607. cf. V, 339. Tibull. II, 1, 47. modo æstivum, apud eundem Tibull. I, 4, 6. III, 5, 2. cf. Voss. ad Virg. Georg. III, 479. Hac autem tempestate, noctu præsertim summa horum montium incendia esse, Plin. H. N. testatur II, 82. vide v. 291. cui adde Stolberg l. l. p. 34. *Der Gipfel lodert fast alle Jahr, mehrentheils im Anfang des Herbstes, oft zweimal des Jahrs.**

v. 603) *Quamquam sors nobilis ignis.* Editiones veteres: *quam sors etc.* Lego:

Nec minus ille pius, quam fors et nobilis ignis.

Forset, vide doctissimos D. Lambini in Horatium commentarios. SCAL. Ego, mittens aliorum inventa, *pio et quamquam ex Codd. retento, veram puto scripturam Lucilio hanc reddidisse:*

Nec minus ille pio, quamquam sors, nobilis igni est.

compara VV. LL. et exempla in Gesner. Thesaur. sub v. *sors* et Prop. IV, 22, 21.

v. 604) His luculentissimis versibus, orditur historiam fratrum Cataneorum, qui ex incendio Aetnae utrumque parentem eduxerunt. Eorum de nominibus varia apud Scriptores opinio; aliis Philonomum et Calliam vocantibus, aliis Anaphiam et Amphinomum, quibusdam etiam Aemanthiam et Critonem. Cuius historiae plurimi monuerunt, Strabo, Pausanias Phocicis, Valerius Maximus, Solinus, Aelianus, Martialis, alii. Sed omnium maxime Claudianus, qui eos egregio carmine celebravit, cuius initium:

Adspice sudantes venerando pondere fratres,

Divino meritos semper honore coli.

*Iussa quibus rabidas cessit reverentia flammae,
Et mirata vagas reppulit Aetna faces.
Complexi manibus fultos cervicis parentes,
Attollant vultus, accelerentque gradus.*

Meminit et Ausonius in Catina de claris urbibus. Locus, in quo eorum erant statuæ, in quas id carmen scripsit Claudianus, vocabatur ab indigenis εὐσεβέων χῶρος. Porro hunc locum ita lege :

*Nam quando ruptis excanduit Aetna cavernis,
Et velut eversis penitus fornacibus, ingens
Evecta in longum rapidis fervoribus unda.*

Dixit undam, ut Pindarus, de eadem re, παραμὸν πυρός. SCAL. Quondam haud dubie a Wernsd. accipiendum erat. Anapias nomen nostrum alteri fratri dedisse, ideo putandum est, quia eius nomen, si versus admitteret, non omisisse videtur. de reliqua historia cf. doctum Wernsd. Excursum.

v. 605) Obsecutus sum Scal., quamquam ignes nolim his undis eripi, ut rectius legere videaris :

*Et velut eversis penitus fornacibus ignea
Evecta in longum rapidis fervoribus unda.*

Similiter orditur fabulam Auctor de mundo c. 6. pag. 864. καθάπερ τῶν ἐν Αἴτνῃ κρατήρων ἀναδράγέντων καὶ ἀνὰ τὴν γῆν φερομένων χειμάζεον δίκην etc. De varia fluminis ignei velocitate cf. Breislak, III. pag. 191.

v. 607) Edd. antt. Saevo quam quum Iove scribunt.

v. 608) Melius torpet. Aliter dicebant: *coslum stat caligine*. Ab ea metaphora *frontem caligare* dicebant veteres, ut Sophocles *συνεφεῖς πρόσωπον*. Pacuvius Atalanta :

Quis istic voltus caligans? quae tristitia?

Ita locus ille apud Nonium legendus est. Imitatione Graecorum dixit voltum caligantem. SCAL. Torquent Gorall. et Wernsd. tuentur.

v. 609) *mollia cultu*. Non reiicio veterum Edd. *millia culta*. SCAL. *Mollia* apud Pith. est. *cultu*, omnes Codd. exhibent. *mitia* ex N. Heins. emendatione ad Caton. Diras v. 78. in Burmann. Anthol. II. recepi; quia ex *milia* formatum vix pro coniectura haberi possit. Proxime accedit Valer. Flacc. III, 647.

Vestra fides, ritusque pares et mitia cultu

His etiam mihi corda locis.

v. 610) *dominis* ex Codd. retinui. *domibus* ex N. Heinsii coniectura reliqui dederunt. Ego cur absurdum *dominis* sit, non video.

v. 611) *Castra movere et signa movere*, ad conserendas, scilicet; manus. Virgilius:

Signa movet, praeceptisque adversum fertur in hostem.

Nam *hostem* ignem vocavit, qui improvisos adgressus sit. Supra, *atque aperit se hosti*, igni, scilicet. SCAL. In *tremebant*; quod Codd. et edd. habent, vide, quam interpretes trepident. Gorall. castra tremere putat. quod non refuto. Wernsd. *tremebant cives*; atqui non *tremebant*, ut qui castra vixdum hostem movisse putantes securi essent. Alias causas, cur vitiosa lectio sit, taceo. Non dubium est, quin scribendum fuerit:

Vix iam castra putant hostem movisse tremendum,

Et iam etc.

Innumeris locis in hac voce versum finierunt.

v. 612) *Evaserat*. imo *invaserat*; et ita reponito. SCAL. *Evasserat* Codd. tuentur et Wernsd.

v. 613) Vetus editio: *viresque rapinae*, quantum rapere possunt. Si legis *rapina*, erit raptim convasare, ut loquitur Terentius. Graeci *εξσυωπείαδα*. SCAL. *rapinis* ex God. H. negligi non debuit.

v. 616) *Crimina* a quo sit inventum pro *carmina* Codd. et edd. lectione, ignoro. Interpretatur Wernsd. Gorallum exprimens de praedatore alienis onusto. Sed huc orationis tenor nos non dirigit, neque rem tam atrocem adeo leviter Lucilius tetigis-

set. Hoc tantum dicit; alios avaritia sua interire onustos, alios inter trepidationem omnia reliquisse. Quare ego verius repono: *illam sua sarcina tardat.*

v. 617) *nimum.* Repono *minimo* auctore Aurato nostro. SCAL. idem legit N. Heins. Advers. pag. 342. proxime absunt H. et 3.

v. 620) Nescio an verius ex Cod. 3. et H. scribas: *et unda terret avaros.*

v. 621) *Praemia raptis.* Nihil potuit argutius dici. Praedones et latrones captis inclamant praemia. Tibullus:

Saevaeque de rapta praemia vestis petat.

Vulgo dicunt, *mettre à rançon.* hoc est, imponere pretium, pro redemtionem. Ergo ἀλληγορικῶς dixit ignem eos ante expectatum opprimere. Quaedam editiones habent *concrepat*, ex qua lectione Auratus noster legebat *concremat.* Utrum malis, tibi liberam esto eligere. SCAL. Illud certissimum videtur, *praemia* ignium esse, non eorum qui an fugisse se rati sunt, quorum vita servata praemium summum esset. In reliquis multa impediunt, quominus Scaligeri explicatio probetur. Praemia autem cum raptis vel captis hominibus ut Wernsd. voluit concremare, ideo non accipimus, quia *capti* non minus praemia ignis sunt quam res captae. Ego quum non videam, quid *Concrepat* esse possit, *Increpat* ex Cod. 2. assumpto, scribo:

et praemia rapta

Increpat

i. e. clamant sua sibi praemia eripi ignes voraces. cf. Benth. ad Hor. Carm. III, 2, 14. et Prop. I, 18, [17] 5. In qua lectione sensum apertissimum esse, verum est, sed ingenue fateor, difficile dictu esse, quo errore *raptis* ex *rapta* factum sit.

v. 622) *ac* vel *et* Codd. vitiosum esse, quis neget? nam omnem orationem hic finiri comprehensione, omnes videmus; hoc autem non *et* facere potest; *vel solis* vs. sq. ostendit, quo pergendum sit:

aut nullis parsura incendia pascunt,
Vel solis parsura piis.

v. 624) *Amphion*. scribe: *Amphinomus*. et quaedam Editiones ita correxerunt. SCAL. Est etiam hoc nomen in Cod. 3. et Accursius corrigit ad Auson. de clar. urb. XI, 2. *Munero*, pro quo non monito lectore *pondere* Gorall. scribit, retinendum censui, eodem sensu, quo *pondere*; hoc enim sibi munus imposuerant, ut rem tutarentur auferendo. Similiter de imposito onere *Reposian*. *Concub*. *Mart*. et *Ven*. 40.

Habent sua munera lauri;

Namque hic per frondes redolentia lilia pendent.

In quo non ita velim intelligi, quasi non simul illud insit; *lauris* etiam apud *Venerem* suum officium est.

v. 626) *Senemque*. Lege:

Adspiciunt pigrumque patrem, matremque senecta

Heu heu! defessos posuisse in limine membra.

Senecta membra. SCAL. Ego *senecta defessos* iungo. Nescio an *Casp*. *Barthii* imminuta in rebus talibus fides hic *Lucilio* obsit, quum ille in Cod. suo *matremque sedentem* legi dicat, ad *Claudian*. *Epigr*. in *Pios*.

v. 627) *Heu iam (seu iam peccat)* ex Cod. 3. recepi. omnino bellum illud *iam*, ad misericordiam. *iam* nunc, antequam viae labores susceperunt, *defessi* sedent.

v. 628) *dicens*. *Parcite avara manus dites attollere praedas*. SCAL.

v. 631) Tanquam pro se ignis fidem daret, qui pro se fide iuberent. SCAL.

v. 635) Eadem acclamatio in *Giri*:

Felix illa dies, felix et dicitur annus.

SCAL.

v. 636) Ex opinione eiusdem maxime *Aurati* lege:

Dextra saeva tenus, laeva que incendia fervent.

Ego vero ita defendebam: *dextra saeva tenent, τὰ δεξιά ἐκ ὀργῶν*.

Simile proverbium Horatio: *Hæc canis, hæc lupus.* SCAL. Si *dextra* legas cum Scal., *tenent* molestum est, vel potius infestum, esset enim *se continent.* Ergo cum Codd. *Dextera sæva tenent* lego. Dextram partem obtinent. In vs. sq. *triumphant* scribo, ut Gorall. a quo ita correctum sit, nescio; *fraterque* multæ edd. habent.

v. 638) *Suffugit*, quod nescio unde Gorall. habet ineptum est. *Sufficit* autem optime respondet avaræ ignium aviditati; sed pro *illam* Codd., utrum *illac*, an *ira* scribendum sit, non iudico.

v. 642) *Illæsos posuit.* Lege: *illos seposuit* etc. *Ditis casu* recto. Petronius:

Hæc inter sedes Ditis pater extulit ora.

In veteri Glossario: *Ditis pater, Πλούτων.* SCAL. Nemesian. Ecl. I, 19.

*Quem nunc emeritæ permensum tempora vitæ
Secreti pars orbis habet mundusque piorum.*

v. 644) *Sed iure.* Auratus *pure*, alii *vere*. Atque hæc quidem hactenus in Aetnam, quo neque post tempora Tiberii Caesaris cultius Poëma, neque mendosius ullum ad nos pervenit. Sed oro obtestorque omnes, qui post messem nostram, aliquod spicum, ut ille ait, a nobis relictum invenerint; ne id potius mihi vitio, quod reliquerim, quam sibi ipsis gloriæ, quod invenerint, verti velint. Quod enim hæc tumultuaria opera conscripsimus, sciunt illi satis, qui non ignorant, quantis temporis angustiis hæc conscripsimus; et quod unus mensis, in quo hæc omnia opuscula recensuimus, omnes errores nostros excusare poterit. Id quod inviti scripsimus. Dicendum tamen fuit, ut a quorundam fastidio laborem nostrum, quantus est, vindicarem. SCAL. *Iura* piis iuvenibus sua erepta erant, nisi nos ea redderemus. *rura* enim, quæ de Campo Piorum explicant, pro *iure* dare voluerat N. Heins., cf. Wernsd. Sed referuntur iura ad immortalitatem prioribus versibus iis promissam. Iniuria hæc ex mali Codd. erroris *iure* mala correctione *vere* profecta est.

Nam quo pertinet illa asseveratio *Sed vere cessere domas*? Neque poëtae nomine dignum esset, si scriberes: *Sed verae cessere domas*, praesertim quum non longius a Codd. lectione illud recedat, quod ego reposui:

Siderea cessere domas et intra piorum.

Quod eandem rem, cum aliquo ornatu tamen, ut in fine operis decebat, pronuntiat.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Praef. pag. XV. l. 8. lege *auctor non ductor*. XVI. l. 8. apud *alios non aliud*.

In Textu. vs. 2. *fortes non fortis*. vs. 15. *amnes non omnes*. vs. 20. *sparsum non Spartum*. vs. 145. *animosior; instat*. vs. 148. *Vincla non Vincita*. vs. 360. *animae non animas*. vs. 474. *pertubuit non pertubuit*. vs. 479. *torretur, non terretur*. vs. 518. *pi gnore*.

In versione. vs. 44. et *saeptus non sich sed sich imprimendum erat*. vs. 103. *drauf folgte*. *Ibid.* *das Meer*. vs. 115. *gilts nicht gibts*. vs. 134. *dir nicht die*. vs. 135. *verstatten*. vs. 333. *des Juppiter*. vs. 492. *Rast er*. 537. *Heraclitus*. vs. 543. *wird sie doch, auch sie, von dem*. vs. 587. *verbannt*. vs. 612. *nächsten Stadt*.

In VV. LL. Pag. 2. lege *Aethna* 3. pag. 3. adde: VSS. 5 et 6. *mutato ordine leguntur in omnibus Codd.* vs. 15. adde *quum* H. 2. vs. 25. H. (*a. m. sec.*) et 3. vs. 27. *mollescent* H. vs. 54. *ecelo H. a caelo* 3. vs. 68. *post adriane* adde H. vs. 69. adde: *deus mudi* 3. vs. 76. *subterius* 3. vs. 86. *uobis* H. vs. 95. adde: *τ. et solidum* 3. H. vs. 102. adde: *et sydera dataque caelo* 3. vs. 122. adde: *etiam et latis* 3. vs. 156. *con festim collatio Passoviana*. vs. 228. *quae sint i. m. t.* 3. vs. 270. et 272. *inverso ordine in Codd. leguntur*. vs. 310. *signum interrogationis hic et deinde additum tantum in collatione Wernickiana legi V. L. significat*. vs. 332. adde: H. vs. 363. adde: *rapunt*. vs. 380. dele: *moram* 3. vs. 414. adde: *amissa* 3. vs. 436. lege: *atnne*. H. vs. 498. adde: *tunc* 3. vs. 609. *agris* 3. vs. 614. adde: 3. NB. *Accusativi, in quos haec scriptio cadit, in Codd. ubique in is exeunt*.

In Notis. vs. 26. *Menckenio*. *ibid.* l. 15. *paventem*. *ibid.* 16. *Lucan.* 1, 531. pag. 97. l. 2. *recepit*. pag. 102. lin. 4. a fin. *Sed vereor, ne*. p. 112. lin. 3. *Virg. Aen.* IV, 244. pag. 113. v. 115. adde: *Docenda pro Codd. errore dolendi recte scripsit Gorallus*. vs. 138. *Lucret.* II, 1144. Ad. vs. 145. adde: *Postquam retractavi interiecto aliquo temporis spatio difficilem hunc locum, nihil iam videtur certius, quam unice veram esse lectionem postremam, subiectum autem inesse in: nec signior ventis, quod non dure neque praeter L. L. indolem ad priorem orationis partem subintelligitur*. vs. 125. *uno flamine*. pag. 128. lin. 6. a fine: *Namque illic etc.* vs. 164. *Stat. Theb.* X, 141. vs. 293. fin. *Lucret.* VI, 1119. vs. 311. fin. *cum ventis cernere bellum*. vs. 341. Adde: *Memorantur tamen sacrificia ad Aetnae fauces omnis causa facta apud Pausan.*

Lacon. c. XXIII, 5. vs. 367. Prop. I, 9, 25. Ad vers. 391. Alumina quondam multa in Aetna collecta esse testatur Giov. Andrea Massa in: La Sicilia in prospettiva. Palermo 1769. cap. 7. pag. 31 sqq. cf. p. 51. vs. 428. pag. 212. lin. 5. lege: quam is, qui nunc ardet. Collem, qui monte di Somma vocatur, sub Vesevi montis nomine comprehendendi ab antiquis multis argumentis probat Della Torre Storia e fenomeni del Vesuvio pag. 33. Servius haud dubium est, quin Vesevum in Aetna legerit, cf. ad Virg. Aen. III, 571. *Causa huius incendii secundum Aetnam Virgilii haec est: Sunt terrae desudantes sulfur, ut paene totus tractus Campaniae, ubi est Vesuvius etc.* vs. 456. Lapidis inflammati. Ibid. absolute posuit. vs. 475. Firmatur Scaligeri correctio per descriptionem luculentam apud: Della Torre p. 21. §. 31. *Gettava una quantita grande di spume infuocate simili a quelle del ferro, me assai piu leggiere etc.* vs. 495. *Diffunditur non recte tentari cf. Della Torre pag. 72. hel camminare, che fa questa materia, se trova il minimo impedimento ancora d' un sasso, si ferma quivi per qualche poco di tempo scorrendo lateralmente etc.* (Pagina insequente accurate describitur, quomodo escendere valles lapis molaris soleat, refrigeratus autem interim inaequali cursu deferri). Pap. 240. lin. 3. lege Fr. Ferraram. Pag. 244. lin. 8. a fin. Praetereo, quas etc.
